EOS

COMMENTARII
SOCIETATIS PHILOLOGAE
POLONORUM

1
[42]

EDITOR
† GEORGIUS KOWALSKI

Volumen XLII 1947
Fasciculus 1.

WRATISLAVIAE 1948
EDITUM AUXILIIS PRAESIDII MINISTRORUM ET MINISTERII INSTRUCTIONIS PUBLICAE

CONSILIUM EDITORIS:

VITOLDUS KLINGER, POSNANIAE — CASIMIRUS FELIX KUMANIECKI, VARSOVIAE — GEORGIUS MANTEUFFEL, VARSOVIAE — THADDAEUS SINKO, CRACOVIAE

COMMENTARII EDUNTUR ADMINISTRANTUR:

WROCŁAW, ul. SZEWSKA 49
UNIWERSYTET, INSTYTUT FILOLOGII KLASYCZNEJ.

Zam. 137. — Drukarnia Uniwersytetu i Politechniki, Wrocław, ul. Gen. Świerczewskiego 19 — F-22751

EOS

COMMENTARII

SOCIETATIS PHILOLOGAE POLONORUM

EDITOR

† GEORGIUS KOWALSKI

Volumen XLII 1947

Fasciculus 1.

WRATISLAVIAE 1948

EDITUM AUXILIO MINISTERII INSTRUCTIONIS

CONSILIUM EDITORIS:

VITOLDUS KLINGER, POSNANIAE — CASIMIRUS FELIX KUMANIECKI, VARSOVIAE — GEORGIUS MANTEUFFEL, VARSOVIAE — THADDAEUS SINKO, CRACOVIAE

COMMENTARII EDUNTUR ADMINISTRANTUR:

WROCŁAW, ul. SZEWSKA 49
UNIWERSYTET, INSTYTUT FILOLOGII KLASYCZNEJ.



Sz. 2810/42/1947

1090 c 1952

Zam. 137. – Drukarnia Uniwersytetu i Politechniki, Wrocław, ul. Gen. Świerczewskiego 19 – F-22731



T. Sinko

THADDAEO SINKO

ALMAE MATRIS IAGELLONICAE PROFESSORI
ACADEMIAE LITTERARUM POLONAE
SOCIETATIS VARSOVIENSIS SOCIO ORDINARIO
SOCIETATIS POLONORUM PHILOLOGAE SODALI
HONORIS CAUSA

QUI LIBRORUM DISSERTATIONUM SYMBOLARUM LINGUA LATINA ET POLONA CONSCRIPTARUM SERIE INNUMERABILI STUDIA CLASSICA ET HUMANIORA MIRUM QUANTUM PROMOVIT ET AUXIT

QUI SESCENTOS AUCTORES CLASSICOS BYZANTINOS RECENTES INDEFESSO LABORE INDAGAVIT ILLUSTRAVITQUE

QUI HISTORIAE LITTERARIAE GRAECAE LINGUA POLONA CONSCRIPTAE CELEBERRIMUS EXSTITIT AUCTOR

QUI QUIDNAM POLONI SCRIPTORES ANTIQUITATI GRAECAE ET LATINAE DEBUISSENT, PRIMUS SAGACITER DETEXIT VIAM HIS STUDIIS IN POLONIA STRUENDO APERIENDOQUE

VIRO ACUTI INGENII DOCTRINAE AMPLISSIMAE
PHILOLOGORUM POLONORUM PRINCIPI
BIS SEPTENA LUSTRA CLAUDENTI
SOCIETAS POLONORUM PHILOLOGA
HOC VOLUMEN SACRUM ESSE VOLUIT

DE HORATII CARMINE AD PLANCUM
(Hor. *carm.* I 7)

Scripsit

CASIMIRUS FELIX KUMANIECKI

Multae sane sunt quaestiones, quae exoriuntur Horatii carmen ad Plancum scriptum accuratius investiganti. Ipsa iam carminis dura et inconcinna compositio, qua factum est, ut carmen multis antiquis scholiastis quasi ex duabus partibus ἀσυνθέτως consarcinatum videretur, difficultates haud leves praebet interpretibus. Quin etiam non defuisse apud Romanos antiquos qui carmen unum in duo poematia dissecarent et inde a v. 15 aliam plane oden instituerent testis est Porphyrio, qui ad v. 15 haec adnotavit: *Hanc oden quidam aliam putant, sed est eadem.* Quam unius carminis absurdam in duas partes distributionem antiquis gratam acceptamque olim fuisse vel ex eo perspici potest, quod non desunt codices, quibus haec divisio placuit, velut Bernensis 21 saec. X, Sangallensis saec. X, Turicensis saec. X, Parisinus 7973 saec. XI, Parisinus 7971 saec. X, et alii ab Orellio et Baitero ad I 7 v. 15 citati (*Horatius Flaccus*, rec. Io. Caspar Orellius, editio quarta maior, Berolini 1886 vol. I p. 54). Adde quod ipsius Planci persona, cui carmen dedicatum est, scrupulum iniecit viris doctis. Quamquam enim Porphyrio diserte testatur agi hic de Munatio Planco Lugduni celeberrimo conditore, qui anno 42 consulatu functus sit, sunt qui Porphyrioni fidem derogent, velut Th. Birt (*Horaz' Lieder, Studien zur Kritik und Auslegung*, Lips. p. 130), et de filio supra laudati Planci cogitent i. e. Lucio Munatio Planco, qui a. 13 post Chr. natum consul fuit, anno autem 14 missus est, ut seditionem in Germanici legionibus exortam sedaret (cf. Tac. *Ann.* I 39, RE vol. XVI col. 351). Ad has difficultates accedit quod parum liquet, quaenam sit totius carminis compositio, quae ratio inter Planci personam et fabulam de Teucro sub finem carminis enarratam intercedat, quo denique loco et tempore carmen conscriptum sit.

Quas omnes difficultates ut solvamus, non a re proposita alienum erit a compositione carminis adumbranda exordiri et

hac demum quaestione dilucidata alios quoque nodos expedire conari. Atque unicuique carmen perlegenti iam primo obtutu patet poema apte in duas partes divisum esse, quarum priorem efficiunt versus 1—14, posteriorem versus 15—32. Prior pars laudes Tiburis continet cum laudibus urbium Graecarum comparatas, posterior consolationem Planci et fabulam de Teucro a patre expulso, qui vino curas sublevat. Neque praetermittendum est posteriorem partem itidem duabus partibus constare: altera breviore, qua allocutio ad Plancum continetur (vv 15—21), altera longiore (vv 21—32), qua fabula de Teucro adumbratur eiusque verba ad sodales citantur. Asperitas compositionis in eo consistit, quod is qui priorem partem carminis legit illaque superba et pulcherrima verba initio carminis collocata: *Laudabunt alii claram Rhodon aut Mitylenen* in animo habet, putat in carmine id praecipue agi, ut urbium Graecarum laudibus Tiburis Latini laudes opponantur et pronus est suspicari hac antithesi adumbrata carminis totius argumentum exhaustum iri. Ita enim e. g. egit Propertius III 22, qui cum Cyzici, Atlantis, Phasidos, aliarumque urbium regionum fluminum laudes Tiburis. Clitumni ei lacuum Italorum laudibus opposuisset, Italiae laudibus elegiam apte conclusit vv 39—42: *Haec tibi Tulle parens, haec est pulcherrima sedes, hic tibi pro digna gente petendus honos, hic tibi ad eloquium cives, hic ampla nepotum spes et venturae coniugis aptus amor.* Haud dissimilem fore etiam Horatiani carminis exitum speravisse multos, cum priorem partem legerent, quis est quin videat? Etenim haec sola exstitit causa, cur nonnulli antiqui carmen nostrum in duo carmina dividerent. Attamen Horatius aliter egit atque Propertius: Laudibus enim Tiburis ad finem perductis non perduxit ad finem poema, sed, ut ita dicam, iter flexit et versu 15 demum, quale esset verum carminis argumentum non sperantibus lectoribus ostendit, Planci personam introducendo. Insunt huic componendi arti multi sane lepores, inest quaedam venustas. Id autem, quod duabus carminis partibus nulla transitionis formula interposita est nullaque copula apparet, qua posterior carminis pars priori agglutinetur et transgressus a Tiburis laudibus ad Planci consolationem mollior faciliorque reddatur, non tam inscientiae poetae, quam arti debetur. Ea enim quae primo obtutu dura videtur sententiarum

ἀσυνδέτως positarum iunctura reapse artificiosa est et eiusmodi, ut exspectationem legentium nihil tale sperantium mirum quantum augeat. Qui enim verba, a quibus allocutio ad Plancum incipit *albus ut obscuro deterget nubila caelo* perlegit, pronus est suspicari se continuatas Tiburis laudes legere, cum inopinato Planci persona emergit. Non est haec componendi via atque ratio aliena a Venusino poeta. Simillimum specimen praebet I 4, cuius carminis compositio cum nostri carminis structura plane congruit. Ut enim in carmine I 7 Planci persona v. 20 demum apparet, ita in carmine I 4 persona Sestii v. 14 demum prodit. Et hic et illic poema tamquam in duas partes est divisum: et hic et illic nullus transgressus structus est a priore carminis parte ad posteriorem. Adde quod in I 4 laetam veris salutationem tristis meditatio de morte excipit. Ea componendi ratio, qua efficitur, ut legentes, quale sit verum carminis argumentum, posteriore demum carminis parte perspiciant, cernitur etiam in c. I 28. Qui enim priorem partem huius carminis (vv 1—20) legit, prorsus credit verba: *Te maris et terrae numerique carentis arenae* eqs, usque ad v. 20 ab ipso poeta pronuntiari et v. 20 demum comperit non poetae esse haec verba sed cuiusdam naufragi defuncti. Quam componendi rationem consulto a poeta adhibitam esse, ut legentium exspectatio augeretur et inopinata quadam novitate animi eorum pungerentur et devincirentur, in propatulo iacet. E poematis, quae bipartitam ostendunt compositionem, citanda sunt etiam carmina haec: I 17, III 11, III 27. Sed in carminibus I 4, I 7, I 28 duarum partium iunctura consulto dura est, in carminibus autem III 11, III 27, I 17 mitior molliorque reddita est. Quamquam enim in III 11 duae partes, quarum prior (1—24) preces ad Mercurium versas, posterior (25—51) narrationem de Hypermestra eiusque marito complectitur, distingui possunt, tamen Lydes persona iam v. 6 introducta, qui esset utriusque partis nexus, non solum significavit, sed plane prodidit poeta. Non est igitur quidquam inopinati in hoc carmine. Neque aliter res sese habet in carmine I 17, in quo item duae partes possunt statui: vv 1—14 et vv 15—28 (cf. R. Heinzei commentarium ed. 7, 1930, p. 84 et 86), sed Tyndaris iam in priore parte (v. 10) apparens efficit, ut transitio ab imagine aestatis, qua prior pars expletur, ad posteriorem carminis partem mollis videatur.

Non idem est rerum status in carmine III 27. Etsi enim transitio a priore parte carminis (vv 1—24) ad posteriorem (vv. 25—76) aptissime est structa (*sic et Europe...*), tamen in ipsa priore poematis parte duae quasi particulae distinguuntur (1—12 et 13—24), in quarum dispositione eodem artificio atque in carminibus I 4, I 7, I 28 poeta usus est. Qui enim priores carminis versus 1—7 perlegerit, primo obtutu facile adducitur, ut credat se exordium malevoli cuiusdam propemptici, quale est e. g. epod. 10, legere: se falso opinatum esse v. 7 demum perspicit quo poeta significavit poema sese dedicavisse cuidam personae, cui timeret, sed quaenam esset haec persona in lucem nondum protraxit. Ita auget exspectationem legentium usque ad v. 14, quo tandem Galateae nomen apparet. Ecquis negaverit artem hic de industria adhibitam esse? Si autem artem in hac componendi ratione latere agnoscimus, necesse est agnoscamus latitare eam in carminibus I 4, I 7, I 28. In transcursu monendum est eam componendi artem, quae in eo consistat, quod poeta in posteriore carminis parte nova quaedam et inopinata proferat et sub finem demum poematis, quid carmen sibi velit, ostendat, non solum in bipartitis, sed etiam in aliis poematis Horatianis inveniri originemque ducere ab aetatis Alexandrinae poetis, quos in hac re non solum Horatius, sed etiam Catullus imitatus est.

In bipartitis quidem poematis, qualia sunt I 7 et I 4, illud novum atque inopinatum momentum in medio carmine introducitur, at in aliis in calce demum poematis collocatur aptamque, ut ita dicamus, clausulam carminis efficit. Hac artificiosa componendi ratione usus est Venusinus poeta in c. IV 1, cum duabus demum ultimis strophis (v. 33—40) se Ligurini amore deperire nihil tale sperantibus lectoribus prodidisset; ibi enim primum Ligurini persona verbaque amorem spirantia παρὰ προσδοκίαν a poeta pronuntiantur. Neque aliter egit IV 11, cum subito sub finem carminis amorem suum in Phyllidem confessus est nec non carmine III 19, cum inopinatam Glycerae mentionem fecit. Quin etiam in carmine I 16 postremis demum verbis, quae sunt *animumque reddas*, verum significatum totius carminis detexit. Haud dissimiliter egit carmine III 26, cum postrema vix stropha (vv 9—12) Chloen nominavit. Simillime est etiam compositum celeberrimum illud carmen III 9, quo diverbium poetae et Lydiae

exeuntibus duabus strophis (vv 17—24) ad finem, qualem non exspectarent legentes, perductum est. Quin poeta etiam carmine III 7 idem in animo habuerit, cum v. 23 demum Enipei personam introduceret novumque momentum priori carminis parti adiceret adiungeretque, dubitari nequit. Huic exemplorum seriei apte subiungi possunt ea carmina, quibus poeta sub finem poematis a proposito suo ad semet ipsum subito transit, velut carmen III 14, cuius postremis tribus strophis de se ipso et de albis suis capillis conqueritur, carmen II 16, quod poetae cum Grospho comparatione (vv 13—40) concluditur, carmen I 33, in quo sub finem poematis (vv 13—16) insperata Myrtales fit mentio, carmen II 4, cuius postrema stropha (21—24) se iam quadragesimum annum explevisse prodit. Neque aliter aestimanda sunt carmina II 1 et III 3, in quorum postremis strophis argumento a poeta in carmine tractato inopinatus finis imponitur. Premendum est in plerisque supra citatis exemplis novum momentum παρὰ προσδοκίαν introduci nulla transitionis formula adhibita sententiasque nulla copula ligatas procedere.

Mos personas, quibus carmina dedicata sunt, non statim initio carminis sed medio demum carmine introducendi non abhorret ab arte Horatiana. Nihil est igitur singulare, quod Planci persona I 7 v. 19 demum emergit. Eodem modo egit etiam poeta in supra iam laudato c. I 4, ubi Sestius versu 14 nominatur, in c. I 26, ubi Lamiae v. 8 fit mentio, in c. III 16, ubi Maecenas v. 20 demum ex inopinato introducitur, in c. I 17, ubi Tyndaris v. 10 demum apparet. Qua in re etiam exquisita ars poetae latet. Etenim haud semel fuit poetae cordi argumentum quoddam singulare reperire, quod initio carminis digne collocaretur illius Pindarici τηλαυγοῦς προσώπου instar. Quo factum est ut haud semel ipsa persona, cui carmen dedicatum esset, ab initio carminis removenda et medio demum carmine nominanda ei videretur. Celeberrimum huius artis exemplum praebet c. III 16: non dubitandum enim est quin tota carminis venustas et prooemii amplus tenor deperitura fuerint, si poeta Maecenatem iam in prooemio introduxisset. Ampla autem et magnifice exornata prooemia mirum quantum adamavisse poetam unusquisque concedet, qui Horatiana carmina attente perlegerit. Magnifica sane sunt illa prooemia: *Laudabunt alii claram Rhodon aut Mitylenen*

(I 7), *Otium divos rogat in patenti* (II 16), *Integer vitae scelerisque purus* (I 22) et alia plurima! In quae prooemia inquirenti primo obtutu offert sese haec observatio: poetae praecipue in deliciis fuisse, ut carmen a sententia quadam generali inchoaretur. E. g. citanda sunt carmina I 22, I 27, II 2, II 9, II 16. Haud semel egit etiam, ut carmen ab interrogatione, quae rhetorica vocatur, initium caperet, velut c. I 12: *Quem virum aut heroa lyra vel acri tibia sumis celebrare Clio?* et I 31 *Quid dedicatum poscit Apollinem vates?* Pulcherrimum etiam prooemium efficiebat imago quaedam latius depicta, velut imago Tiberis ripas excedentis (I 2, 1—20), quibus versibus sane pulchriores inveniri non potuerunt ad prooemium clarissimi carminis conformandum explendumque. Simili modo res se habet in c. I 17, ubi aestatis imago vividis coloribus depicta aptissimum praebet carminis prooemium. Neque aliter egit poeta in carmine I 4, cuius tres priores strophae (vv 1—12), quibus clara veris redeuntis imago depingitur, nihil aliud sunt nisi magnificum prooemium, etsi plus quam dimidiam partem poematis explent. Quae omnia exempla attulimus non quo de prooemiis Horatianis peculiarem quaestionem institueremus, sed quia ad compositionem carminis ad Plancum scripti rite aestimandam plurimum ea valere censemus. Prior enim huius carminis pars nihil aliud reapse est nisi amplum et late diductum prooemium. Nimirum poeta simulac illam gratam sibi materiam arripuit, quae in comparatione Graecarum urbium cum Tibure constabat, temperare sibi non potuit, quin in ea diutius commoraretur. Exordium autem odes profecto magnificum est et cum aliis celeberrimis prooemiis Horatianis apte componi potest. Atqui alio loco nisi prooemio haec superba verba: *Laudabunt alii claram Rhodon aut Mitylenen* collocari non potuisse, quis est, quin videat? Postquam igitur in prooemio posita sunt, persona Planci ad posteriorem partem releganda erat.

Sed nondum cum pulvisculo exhausta est quaestio. Pindarus enim et Bacchylides cum odas suas victoribus dedicatas componerent, media carminis parte mythica narratione expleta sub finem carminis ad personam, cui carmen dedicatum est, denuo redire solebant. Nihil tale apud Horatium in carmine I 7 invenies. Planco enim introducto statim eum reliquit poeta et ad fabulam de Teucro adumbrandam properans

ipsius Planci tamquam oblitus est: inde evenit, ut verbis Teucri ad sodales pronuntiatis poema concluderetur. Id etiam non fortuito accidisse sed arti poetae deberi aliis Horatianis carminibus, quibus idem artificium adhibitum est, edocemur. Non aliter enim egit poeta celebri illo ad Vergilium scripto carmine I 3, ubi item Vergilii, quem duabus prioribus strophis collaudaverat, posteriore carminis parte ne mentionem quidem fecit sententiaque generali poema conclusit. E multis exemplis, quae eandem artem poetae redolent, satis erit nominasse: III 11 et III 27. Quam componendi artem nostrum non ab antiquis poetis lyricis Graecis sed ab iis, qui aetate Alexandrina floruissent auctoribus mutuatum esse unicuique manifestum erit, qui in memoriam revocaverit Theocriti XI et XIII idyllia. Niciae dedicata (cf. Ricardum Heinzeum ad Horatii carmen III 11). Theocritus enim eodem modo atque Horatius Niciam in carminibus non nominavit nisi in ipsis carminum prooemiis (XI 1—6 et XIII 1—4) personaque eius postea neglecta in fabulis de Cyclope et de Hyla enarrandis diutius commoratus est. Quamquam hanc componendi artem non semper poetae nostro placuisse notemus necesse est. In libro enim quarto ne unum quidem carmen ea ratione compositum est, ut poeta personae, cui carmen dedicatum sit, obliviscatur. Quin etiam carmen IV 4 plane aliter atque epod. 13 et cc I 7, III 11, III 27 constructum esse in propatulo iacet. Carmina enim I 7, III 11, III 27 ita sunt composita, ut persona, cuius carmen sacrum esset, sub finem poematis tamquam neglecta carmina ipsa in fabulosam quandam narrationem abirent et allocutione a fabulosa quadam persona pronuntiata concluderentur. Carmen autem IV 4, quo Horatius Pindarum imitari conatus est, plane aliter comparatum est. Etsi enim poeta verbis ab Hannibale pronuntiatis (vv 50—72) carmen concludere potuit, noluit tamen hic idem artificium atque in carminibus supra citatis arcessere strophamque adiecit, qua ad Claudiam gentem denuo celebrandam revertit: *nil Claudiae non perficiunt manus quas et benigno numine Iuppiter defendit et curae sagaces expediunt per acuta belli*, qua in re non tam poetas Alexandrinos quam Pindari artem imitatione expressit. Artem Alexandrinam ne Propertio quidem semper arrisisse documento est el. I 20. Fabula enim de Hyla enarrata rursus

ad Gallum, quem initio elegiae (vv 1—4) nominaverat, poeta rediit. Restat ut subiungamus compositionem Horatii carminum I 7, III 11, III 27 et epod. 15 id singulare prae se ferre, quod omnia haec carmina in fabulosam narrationem exeunt verbisque ab heroe quodam pronuntiatis concluduntur. Ita etiam carmen I 15, quod totum in vaticinatione Protei versatur, concludi non est, cur moneamus. Haud a re alienum erit meminisse etiam carminis III 4 compositionem non longe abesse ab ea arte, quam poeta in III 11, I 7, III 27 amplexus est. Postquam enim poeta Musarum laudes cecinit, v. 42 ad deorum et Gigantum certamen enarrandum accedit eaque narratione carmen concludit. Μυθικῶς etiam, ut ita dicam, concluditur c. II 13 imagine Tartari in posteriore poematis parte accurate depicta (vv 21—40).

In universum dicendum est carmen I 7 ita compositum esse, ut poeta eorum quae prius enarraverit tamquam oblivisci et ab alio argumento ad aliud tamquam invitus delabi videatur. Non esse hoc inscientiae sed artis poetae signum iam pridem monuimus: adiciamus necesse est hanc componendi artem non tam classicorum qui vocantur poetarum Graecorum quam eorum, qui aetate Alexandrina viguissent, propriam fuisse. Etenim qui e. g. Theocriti id. XXV de Hercule λεοντοφόνῳ in animum reduxerit et consulto laxam singularum idyllii partium (vv 1—61, 62—152, 153—281) iuncturam in memoriam revocaverit, concedet hanc componendi artem Horatianam, quae in I 7 nobis obvia est, prima specie incuriosam et libertatis cuiusdam ac licentiae speciem prae se ferentem, reapse consulto elaboratam studio Alexandrinorum poetarum deberi. Etenim constat poetis Alexandrinis id praecipue cordi fuisse, ut compositio quam maxime incuriosae speciem praeberet, nec non ut singula tantum narrationis momenta latius depingerentur aliis in brevius redactis. Perspicua est haec ars componendi cum in aliis tum praecipue in iis poematis, quibus a recentioribus nomen epylliorum inditum est. Quae poemata legenti haud semel accidit, ut in una imagine latius a poeta depicta longius acquiescere cogatur neque qui sit nexus cum priore poematis parte memoria continere possit. Atque id ipsum ut nanciscerentur, magnopere enixos esse Alexandrinos scimus; eorum vestigia pressit Catullus cum in aliis poematis

tum in Thetidis et Pelei nuptiis enarrandis. Similem componendi rationem amplexus est Horatius in I 7: cum tamen ode brevior sit epyllio Alexandrino, nexus, qui inter hanc componendi artem atque Alexandrinos intercedit, non ita clare evadit. Attamen ratio componendi plane eadem est atque apud Alexandrinos. Tamquam inscite enim ab alio argumento ad aliud delabi, in singulis momentis latius describendis commorari, ea quae prius exposita sunt non respicere neque ad ea reverti ars est vere Alexandrina.

Quaestione de compositione carminis absoluta ad alias quaestiones enucleandas properemus. Atque priorem quidem carminis partem totam in urbium Graecarum et Tiburis Latini comparatione versari manifestum est neque id ampliore explanatione eget. Quam materiem poetis Latinis huius aetatis in deliciis fuisse diserte testatur Propertii supra laudata elegia III 22 nec non celeberrima illa Italiae laudatio Vergiliana, quae *Georg.* II 136 ss. legitur. Neque longius in hac re tam manifesta acquiescendum esset, nisi quidquam singulare ex Horatii verbis subaudiri posset, quod non fugit subtilissimum Venusini poetae interpretem, Ricardum Heinzeum dico, qui ad I 7, 12 haec adnotavit: *die Quellnymphe Albunea... steht zu den vorhin genannten grossen Gottheiten wie das bescheidene Tibur zu den hochberühmten Städten Griechenlands.* Nimirum venustas huius comparationis in eo constat, quod modestum et parvum Tibur celeberrimis Graeciae urbibus opponitur. Qui mos res modestas et exiguas rebus amplis et claris anteponendi non ex arte rhetorica, cui studebat poeta, originem traxit, sed ex animo vatis, qui modesta et parva miro quodam amore fovebat. Non sola igitur arte rhetorica alebantur verba poetae, sed interioribus adeo vatis animi motibus. Etenim parva magnis anteponere adeo in deliciis poetae fuit, ut haec antithesis multis poematis eius singularem quandam notam impresserit. Modestam et tenue spirantem Musam haud semel Horatius poetis grande sonantibus opposuit, velut I 6, 17—20; II 1, 37—40; III 3, 69—72; IV 15, 1—4. Neque aliter egit, cum modestam suam vitam et luxu carentem vitae divitum anteponeret: I 20, 9—12; I 31, 9—20; II 16, 33—40; II 18, 1—14. Eundem animum spirat etiam I 38, quo se Persicos odisse apparatus poeta confitetur. Simillimum tamen

carmini I 7 exemplum praebent carminis II 6 versus 13—20, quibus mite Tarentum cum Hymetto Venafro Falerno componitur. Haec vitae simplicis et quae deis placeat laudatio adeo propria Horatii esse nobis videtur, ut proni simus oblivisci ductam eam esse a poetis lyricis Graecis, quos saepius manu diurna et nocturna versavisset Horatius. Animum enim divitiarum contemptorem primus ostendit Bacchylides cum illa clarissima verba (fr. 21 Blass) componeret: οὐ βοῶν πάρεστι σώματ' οὔτε χρυσός | οὔτε πορφύρεοι τάπητες ἀλλὰ θυμὸς εὐμενής | μοῦσα τε γλυκεῖα καὶ Βοιωτίοισιν ἐν σκύφοισιν οἶνος ἡδύς, quae carmine II 18 ab Horatio imitatione expressa sunt. Ea quae ipsis poetis placeant iis rebus quae aliis hominibus arrideant et quae vulgo maximi aestimentur, non solum opponere sed etiam anteponere solebant iam antiqui lyrici Graeci. Qua antithesi aptissimum et elegantissimum carminis exordium conformari posse docet Sapphus carmen 5 Lobel (*Sapphus Mele*, Oxonii 1925 p. 4): οἱ δὲ πέσδων οἱ δὲ νάων φαῖσ' ἐπ[ὶ] γᾶν μέλαι[ν]αν | [ἔ]μμεναι κάλλιστον, ἔγω δὲ κῆν' ὄτ | τω τις ἔραται ss. Quod prooemium carminis Sapphici adeo consimile est prooemio carminis Horatiani ut non dubitem asseverare illud ipsum ante oculos Venusini vatis observatum esse cum illos versus *Laudabunt alii* pangeret. Ex aliis digna memoratu est elegia Tyrtaei fr. 10, qua poeta Spartanae virtutis notionem aliis virtutis notionibus opposuit.

His explicatis ad res maioris momenti accedamus necesse est. Plancum, cui carmen nostrum dedicatum esset, fuisse illum Munatium Plancum, qui a. 42 a. Chr. n. consulatu functus esset, adnotavit iam commentator Horatianus Porphyrio, cui adstipulati sunt etiam recentiores viri docti, inter quos non deest is, qui novissimam Horatii editionem commentario doctissimo exornatam curavit, Ricardus Heinze. Quae cum ita sint, supervacaneum esset quaestionem de Planci persona instituere nisi Birtius eam redintegrasset, cum opinionem protulisset non de Planco consule a. 42 sed de eius filio hic agi, qui consul fuisset a. 13 post Chr. n. Quae futtilis et nullis solidis argumentis corroborata coniectura facile potest redargui et adeo levis visa est Heinzeo, ut ne mentionem quidem eius fecerit. Plancum enim, qui a. 13 post Chr. n. consulatum gessisset, a. 23 a. Chr. n., cum tres priores carminum Horatianorum libri ederentur, puerum aut iuvenem fuisse proba-

bile est. Attamen luce clarius est (cf. Heinzeum p. 39) priora libri primi carmina non esse dedicata nisi viris clarissimis et excellentibus: primum Maecenati, secundum Augusto, tertium Vergilio, quartum L. Sestio Quirino, qui consul fuit a. 23, cum carmina Horatiana publici iuris fierent, sextum Agrippae. Seriem interrumpit carmen quintum, quod tamen ideo hoc sollemni loco a poeta positum est, quod specimen praebet poeseos eroticae, quam maxime Venusini vatis proprium. Velim etiam viros doctos memoria tenere eum Plancum, qui consul a. 42 fuisset, a. 22 una cum P. Aemilio Lepido censuram gessisse (cf. CIL I 2 p. 64. 65, 68. VI 10286 ss. Cassii Dionis LIV 2, 1, Vellei Paterculi II 95, 3). Idem cum a. 27 in senatu auctor fuisset, ut Octaviano cognomen Augusti inderetur, multum his temporibus valuit. Veri simile est igitur carmen I 7 non cuidam ignoto Planco sed viro consulari dedicatum esse ideoque post carmina Maecenati, Augusto, Vergilio, Sestio, Agrippae dedicata collocatum, ut censor a. 22 recentissime creatus honoraretur. Ut igitur I 4 consuli a. 23, ita I 7 censori a. 22 dono datum esse putamus. Neque silentio praetereundum est verba quae v. 17 leguntur: *sic tu sapiens finire memento tristitiam vitaeque labores molli Plance mero* potius ad virum aetate provectum, qui iam multa et gravia in vita expertus sit, quam ad iuvenem quadrare.

Lucii Munatii Planci L. f. L. n. (cf. CIL X 6087) consulis a. 42 vita et mores satis bene nobis nota sunt, cum ex Ciceronis et Planci epistularum commercio (cf. praecipue Cic. *ad fam.* X 1—24) tum ex aliis antiquis auctoribus, quorum testimonia diligentissime collecta commode leguntur in RE XVI coll 545—551. Etsi supervacaneum est totam viri vitam hic enarrare et evolvere, tamen haud absurdum erit pauca enotare et ea quae nostro carmini rite aestimando aliqua ex parte prodesse possunt, afferre. Quamquam enim ea quae de Planco protulerat iudicia Velleius Paterculus, qui eum *morbo proditorem* (II 83, 1) nec non proditorem et insidiatorem D. Bruti (II 64, 1) appellare haud gravatus est dubiamque fidem ei manifesto obiecit (II 63, 3), nimis acerba videntur, dubitari tamen nequit, quin Plancus ad eos istius aetatis viros pertinuerit, qui in bellis civilibus saepius ab una factione ad alteram transfugerent, velut ille Dellius,

cui Horatius carmen II 4 dedicavit, a Messalla (cf. Sen. *suas.* 1, 7) *desultor bellorum civilium* nominatus. Plancus enim, etsi Caesarianarum partium fautor et particeps bellorum a Caesare cum in Gallia (cf. *Bell. Gall.* V 24, 3; V 25, 4) tum in Hispania (cf. *Bell. civ.* I 40) et Africa (cf. *Bell. Afr.* 4) gestorum exstitit et praefectus urbi a Caesare creatus, deinde autem ab eodem Caesare una cum D. Bruto consul a. 42 designatus est, post dictatoris mortem, ut parricidis ignosceretur, suasit (cf. Plut. *v. Bruti* 19). Idem cum diutius in bello, quod Antonio indictum est, a senatus partibus staret, tamen, cum D. Brutus lege Pedia proscriptus esset, mense Septembri a. 43 eum reliquit et cum legionibus, quas habuit, ad Antonium et Lepidum transiit (cf. Appiani III 97, Cassii Dionis XLVI 53, 2, Vellei Paterculi II 63, 3, Plut. *v. Ant.* 18, Liv. *per.* 120). Haud dissimili modo egisse eum etiam in bello Perusino testis est Velleius, qui haec malevole adnotavit II 74, 3: *Plancus Antonianarum adiutor partium spem magis ostenderat auxilii quam opem ferebat Antonio.* Bello Perusino confecto Plancus una cum Fulvia ad Antonium confugit et provinciam Asiam administrabat, cum tamen bellum Antonii cum Octaviano impenderet, a. 32 Antonium clam reliquit, ad Octavianum Romam venit et Antonium multis criminibus obruit. Qui cum in senatu pluribus criminationibus absentem triumvirum incusavisset, multi senatores taedio affecti sunt teste Velleio Paterculo (II 83, 3): *haud absurde Coponius vir... cum recens transfuga multa ac nefanda Plancus absenti Antonio in senatu obiceret, „multa", inquit, „mehercules fecit Antonius pridie quam tu illum relinqueres".* Eundem a. 27 Octaviano cognomen Augusti dandum censuisse, a. 22 autem censura functum esse iam pridem monuimus.

Ac primo quidem obtutu mirum videtur, si tali viro, cui plurimi boni cives ignominiosam transfugae appellationem impertiverunt, Horatius pulcherrimum illud carmen I 7 dedicavit. Attamen non est hoc unicum carmen, quod a Venusino poeta viro, qui dubia opinione fruebatur, dono datum est. Etenim unum e pulcherrimis carminibus scilicet II 3 Dellio oblatum est, quem desultorem bellorum civilium Messalla nominaverat. Qui Dellius primum Dolabellae, deinde Cassii, post Antonii, postremo Octaviani assecla fuit.

Neque Lollius, cui carmen IV 9 dedicatum est, a criminationibus vacuus fuit. Quem enim Horatius amplissimis versibus celebravit et ad caelum extulit (vv 33—44: *est animus tibi rerumque prudens et secundis temporibus dubiisque rectus, vindex avarae fraudis et abstinens ducentis ad se cuncta pecuniae consulque non unius anni sed quotiens bonus atque fidus iudex honestum praetulit utili et reiecit alto dona nocentium vultu, per obstantis catervas explicuit sua victor arma*), eundem his verbis increpat Velleius Paterculus II 97: *homo in omnia pecuniae quam recte faciendi cupidior et inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimus.* Ne Asinius Pollio quidem, cuius sacrum esse carmen II 1 voluit Horatius, semper sibi constans fuit: quamquam enim in epistula ad Ciceronem data studium suum in rem publicam ostendit (cf. Cic. *ad fam.* X 31, 3: *ita si id agitur ut rursus in potestate omnia unius sint, quicumque is est, ei profiteor me inimicum*), tamen rei publicae causam reliquit seque Antonio et Lepido adiunxit. Qui tamen pacis amantissimus vir cum Munatio Planco semper honorum cupido et semper victorem sectante non potest certe comparari. Ex eis exemplis quae protulimus elucet Horatii iudicium de aequalibus non semper cum vulgari opinione congruere. Quae discrepantia haud facilis est explicatu, nisi Horatii ingenium mite et vere humanum respicimus, quale ostendit in *sat.* I 3, 25 ss: *cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis, cur in amicorum vitiis tam cernis acutum, quam aut aquila aut serpens Epidaurius?* et v. 140 s.: *Ignoscent si quid peccavero stultus amici inque vicem illorum patiar delicta libenter.* Altera ex parte Vellei Paterculi in Planci personam malevolentia adeo conspicua est, ut attente legenti haud semel suspicionem moveat Velleium non sine ira et studio Plancum tractavisse.

Videamus nunc, quae ratio inter Planci personam et fabulam de Teucro a patre expulso adumbratam intercedat. At R. Heinzeus diserte monet, ne hoc iter ineamus, cum scribit (p. 39): *Irgend welche nähere Beziehungen des Schicksals des Plancus zu dem mythischen Schlussbilde darf man jedenfalls ebensowenig suchen, wie etwa in der 13 Epode eine Parallele zwischen den angeredeten amici und dem am Schluss von Chiron ermahnten Achill zu ziehen ist: in beiden*

Fällen kommt es dem Dichter lediglich auf den Kern der Mahnung an: vino pellite curas. Qua in re non possumus tamen viro doctissimo adstipulari. Etenim ne unum quidem exstat carmen Horatianum, in quo μῦθος non sit quodam vinculo coniunctus cum persona, cui carmen dedicatur. E. g. citandum est carmen III 11, in quo Lydes persona et fabula de Hypermestra praeclare inter se cohaerent; etiam in carmine III 27 qui sit Galateae cum Europa rapta nexus, facile divinari potest. Numquam enim fabulas ideo tantum enarrabat poeta, ut desiderium quoddam narrandi aut eam, quam Goethe appellavit *Lust zum Fabulieren* expleret sibique ita satisfaceret, sed ut ad fata eius personae, cuius sacrum poema esse voluit, quodam modo leviter alluderet, eiusque sortem mythologica materia exornaret illustraretque. Etenim carmen I 15, quod unum ex omnibus poematis Horatianis t o t u m in mytho enarrando versatur, non meram phantasiam lyricam esse, sed allegoriam de Antonio et Cleopatra non negat ipse Heinzeus; quae iam a scholiastis antiquis prolata coniectura his recentissimis temporibus plures invenit fautores et asseclas et a Thaddaeo Sinko (Eos 29. 1926 pp 135—155) corroborata est. Si igitur ne in uno quidem carmine Horatiano μῦθος legitur nisi quodam vinculo cum persona, cui carmen oblatum est, conexus, si etiam in carmine I 15 allegoria est agnoscenda, necesse est etiam in epodo 13 et in carmine I 7 nexum quendam latere suspicemur, quo personae, quibus carmina dedicentur, cum fabulis ligatae sint. Atque in epodo 13 quidem nolim diutius commorari: satis erit indicasse epodon 13 compositum esse in Graecia, cum bellum Octaviani et Antonii contra Brutum et Cassium impenderet et scriptum esse ab Horatio tribuno militum ad sodales, qui tum Bruto duce in Graecia et Asia stipendia merebantur. Etenim bello imminente aptissima fit Chironis mentio, haec ad Achillem canentis: *Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois: unde tibi reditum certo subtemine Parcae rupere...* (vv 13—16). Ut Achilli, cui bellum et mors imminet, curae vino pellendae sunt, ita etiam Horatii sodalibus, quibus pari modo atque Achilli bellum impendet.

Ut igitur in ceteris carminibus Horatianis, ita etiam in carmine I 7 fieri nequit, quin nexus quidam, quo Planci

persona cum fabula de Teucro enarrata conectatur. latitet. Qui nexus fere nullus esset, si Heinzeum secuti nullam inter Plancum et Teucrum similitudinem intercedere putaremus, nisi quod Planco, ita ut olim Teucro, tristitia vino sublevanda esset. Atqui Teucri fortunae mira est cum Planci infortuniis et miseriis similitudo. Nescio an iam in poemate cyclico cui Νόστοι inscribitur enarrata sit fabula illa de Teucro Troia domum redeunte, qui falsissimis criminibus a patre Telamone obrutus, quod fratrem Aiacem a morte non servasset. Salaminem reliquit et novam patriam quaerere coactus Cyprum appulit: at certe tractata est haec fabula ab Aeschylo in tragoedia cui Σαλαμίνιαι inscribitur nec non in Sophoclis *Teucro*, quem postea in celeberrima fabula Pacuvius imitatus est (cf. Ribbeck, *R. Tr.* 223 s. et *Röm. Dichtung* I² 168 s.). Quamquam enim ne Ennius quidem ab hoc argumento abstinuit (cf. Ribbeck, *Röm. Dichtung* I² 31 et *R. Tr.* 133 s.), tamen id quod fabula apud Romanos innotuit, imprimis Pacuvio debetur (cf. W. H. Roscheri *Ausführl. Lex. d. gr. u. röm. Mythologie* V 411 ss). Fortuna Teucri similis est fortunae Hippolyti a patre falso accusati: Nimirum Teucer, cum procul a Troia in Mysia esset (cf. Soph. *Aias* 342), non potuit impedire, quominus Aiax mortem sibi consciscceret. Ut infortunium Hippolyti eo augetur, quod castus iuvenis amoris scelesti in novercam accusatur, ita Teucri fortuna eo flebilior videtur, quod Teucer fratris Aiacis amantissimus fuit: id quod saepius notatur cum ab aliis antiquis scriptoribus tum in *Aiace* Sophocleo. Ex hac etiam fabula subaudiri possunt crimina iniusta, quae pater contra innocentem Teucrum iactaverat: eum consulto fratrem reliquisse, ut solus hereditate potiretur (*Aiacis* v. 1008 ss). Malum igitur Teucri in eo contistit, quod ille fratris amantissimus heros a patre iniuste accusatus est. Si autem ab illa fabulosa de Teucro narratione ad Planci vitam indagandam transimus, ne Plancum quidem ab eodem crimine atque Teucrum vacuum fuisse videmus. Non solum Teucer, sed etiam Plancus habuit fratrem: non solum Teucro sed etiam Planco crimini datum est, quod eum reliquisset vel prorsus prodidisset. C. Munatius Plancus nostri Planci frater a L. Plautio pro filio adoptatus, Caesarianarum partium fautor, praetor a. 43, post Caesaris mortem a Ciceronis et

senatus partibus stabat. A. 43 missus est ad fratrem suum in Galliam et equitatui praefuit, ut ipse testatur Lucius in epistula ad Ciceronem data (cf. Cic. *ad fam.* X 11, 3), sed iam mense Maio valetudinis curandae causa Romam revertit a fratre adductus, ut id faceret (cf. Cic. *ad fam.* X 17, 2). Miserabilis fuit eius fortuna. Cum enim a. 43 exeunte triumviri adversarios proscriberent, Lucius Munatius Plancus impedire non potuit, quin etiam frater eius utpote Ciceronis et senatus assecla proscriberetur. Neque id soli evenit Planco. Lepidus quoque triumvir fratrem suum germanum Paulum proscribi passus est: ὧδε μὲν εἶχεν ἡ προγραφὴ τῶν τριῶν ἀνδρῶν, ὅσον ἐς Ἑλλάδα γλῶσσαι ἀπὸ Λατίνης μεταβαλεῖν. πρῶτος δ' ἦν ἐν τοῖς προγράφουσι Λέπιδος καὶ πρῶτος ἐν τοῖς προγραφομένοις ὁ ἀδελφὸς ὁ Λεπίδου Παῦλος καὶ δεύτερος ἦν τῶν προγραφόντων Ἀντώνιος καὶ δεύτερος τῶν προγραφομένων ὁ θεῖος Ἀντωνίου Λεύκιος, οἵδε μὲν ὅτι πρῶτοι πολεμίους αὐτοὺς ἐψηφίσαννο, τρίτος δὲ καὶ τέταρτος ἦν τῶν ἐν ἑτέρῳ πίνακι προκειμένων ἐς τὸ μέλλον ὑπάτων Πλάγκου μὲν ὁ ἀδελφὸς Πλώτιος, Ἀσινίου δὲ ὁ πενθερὸς Κοΐντιος (App. IV 12, 45).

Eadem non sine malevolentia refert Velleius Paterculus II 67, 3: *Ne quid ulli sanctum relinqueretur, velut in dotem invitamentumque sceleris Antonius L. Caesarem avunculum, Lepidus Paullum fratrem proscripserant: nec Planco gratia defuit ad impetrandum, ut frater eius Plancus proscriberetur.* Eadem fere leguntur apud Cassium Dionem LIV 2, 1, Valerium Maximum VI 8, 3, Plinium *N. H.* XIII 25, Solinum 46, 3. Res illa notissima fuit inter Romanos multisque probis viris indignationem movit, cum alterum fratrem a. diem IV Kal. Ianuarias a. 42 de Gallia et Raetis triumphantem et Kalendis Ianuariis consulatum ineuntem, alterum pessima morte peremptum viderent. Quamquam enim proscriptus Plancus Plotius Salernum fugam capessivit, tamen mortem evitare non potuit; quam rem Valerius Maximus VI 8, 5 et Plinius *N. H.* XIII 25 satis accurate descripserunt. Istum Lepidi et Planci de Gallia triumphum (cf. CIL X 6087) his verbis enarravit Velleius II 67, 4: *eoque inter iocos militares qui currum Lepidi Plancique secuti erant, inter exsecrationem civium usurpabant hunc versum:*

De germanis, non de Gallis duo triumphant consules.

Ut igitur Teucro crimini datum est, quod fratrem suum a morte non servasset, ita etiam Planco id ipsum obicieba-

tur. Neque sunt haec crimina tacite iacta, sed manifesto a militibus currum triumphalem sequentibus non sine acerbo ioco proclamata.

His demum prolatis, quae ratio inter Planci personam et fabulam de Teucro enarratam intercedat, plane perspicimus et quaenam fuerit causa, cur hanc fabulam Horatius introduceret, expiscari possumus. Etenim mytho de Teucro introducto significari poeta voluit crimina, quibus obrueretur Plancus, simili modo atque ea quae olim a Telamone contra virum innocentissimum et fratris amantissimum Teucrum iacta essent, falsa esse atque iniusta. Nimirum qui fuerit verus rerum status, non nostrum est quaerere: nobis satis erit enucleasse, quid poeta de ea re senserit. Id autem pro certo haberi potest Horatium non solum Plancum ab omni culpa vacuum putavisse, sed etiam studuisse, ut eum quodam modo a falsis criminibus purgaret. Crimen, quod fratrem proscribi passus esset, haud semel Planco obiectum, viri animum angebat excruciabatque. Ideo consolatur eum Venusinus poeta I 7, 17: *sic tu sapiens finire memento tristitiam vitaeque labores* simili modo atque Teucer olim a patre falso et iniuste accusatus...

Restat ut de chronologia poematis pauca subiungantur. Inter omnes constat ea metra, quae in epodis a poeta adhibita sint, in odis non recurrere nisi in carminibus I 7 et I 28, quae e strophis alcmaniis, a poeta iam epodo 12 usurpatis, composita sunt. Qua re innisus Heinzeus recte coniecit poema nostrum inter ea carmina Horatiana ponendum esse, quae prius quam alia conscripta essent. Etiam asperitatem quandam compositionis suadere, ut hanc chronologiam acciperemus, idem vir doctus monuit. Sed non est in his acquiescendum. E carmine enim rite explicato nescio an possint nova quaedam emergere argumenta, e quibus ad chronologiam carminis stabiliendam accuratiusque definiendam non nihil lucis redundabit. Horatium non una cum Planco fuisse, cum carmen I 7 componeretur, indicare videntur haec verba v. 19 s.: *seu te fulgentia signis castra tenent seu densa tenebit Tiburis umbra tui,* e quibus Plancum longe a Roma et Tibure, unde oriundus erat, abesse et in castris militaribus

commorari patet. Non sunt enim haec verba ita explananda, ut ea explanare conatus est Orelli, cum adnotaret: *castra tenent i. e. rursus aliquando, ut antea saepe.* Ad hanc nimis artificiosam interpretationem eam ob rem coactus est vir doctissimus recurrere, quod carmen post a. 31 conscriptum esse credebat, cum Plancus iam Romae commoraretur vitae castrensis longe oblitus. Nimirum qui credit poema post a. 31 compositum esse, necesse est aut hanc complicatam Orellii interpretationem, quae nullos asseclas invenit, amplectatur foveatque aut omnino carmen non Planco consuli sed filio eius dedicatum esse asseveret, velut A. Uppenkamp (Fleckeisens Jahrb. 1894, 77 s.) et Th. Birt *(Horaz Lieder, St. z. Kr. u. Ausl.* 130), cuius opinionem iam supra refutavimus. Nimis artificiosis igitur interpretandi rationibus spretis et reiectis eo sensu verba *castra tenent* accipiamus, quo a poeta scripta sunt: Plancus cum carmen conscriberetur, procul a Roma et Tibure afuit et militia functus est.

His expositis nondum tamen scimus, ubi commoratus sit ipse poeta, cum carmen componeret. Quamquam enim primo obtutu carmen epistulae ad amicum in alienis terris et urbibus commorantem datae speciem prae se fert, tamen non defuit vir doctus, Reitzensteinium dico, qui in Museo Rhenano (N. S. 68. 1913. p. 256) opinionem protulit Horatium una cum Planco aliisque sodalibus in castris militaribus commorantem hoc carmen composuisse. Quae Reitzensteinii coniectura sane mihi non displiceret, nisi vir doctissimus indicare supersedisset, quo tempore fieri potuisset, ut Horatius una cum Planco in castris commoraretur. Horatium enim in castris militaribus semel tantum annis 43—42 fuisse, cum libertatis causa suscepta Brutum secutus tribuni militaris dignitate auctus esset, constat. Iisdem annis Plancum in Gallia fuisse, deinde in Italia consulatum gessisse compertum habemus. Accedit quod Horatius Bruti, Plancus Antonii et Octaviani partes tum sequebatur. Si igitur non potuit fieri, ut Plancus una cum Horatio in castris commoraretur, reicienda est Reizensteinii coniectura, carmen autem Horatianum nihil aliud esse nisi epistulam ad Plancum in Graecia morantem ab Horatio Roma vel Tibure missam censendum.

Si quo tempore carmen conscriptum sit, propius definire voluerimus, necesse erit in memoriam revocemus supra

iam laudatam elegiam Propertianam III 22, quae adeo consimilis est priori nostri carminis parti. Atque Propertiana quidem elegia epistulae formam habet ad Tullum amicum Propertii missae, qui tum Cyzici commorabatur. Ut autem Propertius elegiam suam propterea a Cyzico initium capere voluit, quod Tullus, ad quem epistula data est, Cyzici tum habitabat, ita etiam Horatium ideo a Rhodi et Mitylenae mentione oden suam inchoavisse probabile est, quod Plancus, cum carmen componeretur, in insulis Graecis morabatur ibique militia functus est. Sequitur ut videamus, quo tempore Plancus in insulis Graecis stipendia meritus sit. Quamquam vita Planci non ab omni parte nobis nota est, tamen non aberrabimus a vero, si coniecerimus poema nostrum annis 40—35 conscriptum esse. Bello enim Perusino confecto mense Februario a. 40 Plancus una cum Fulvia aliisque Antonianarum partium adiutoribus in Graeciam confugit (cf. Appiani V 211, Cassii Dionis XLVIII 24, 3, Vellei Paterculi II 76). Hisce fere temporibus aut paullo post Plancum provinciae Asiae ab Antonio praefectum esse testatur Cassius Dio XLVIII 24. Exarsit tum bellum cum Parthis, qui Pacoro et Labieno ducibus Syriam, Ciliciam, urbes Asiaticas occupaverunt. Plancus cum impetum barbarorum sustinere non posset, provinciam Asiam reliquit et in insulas properavit: ὁ γὰρ Πλάγκος φοβηθεὶς αὐτὸν (sc. Labienum) ἐς τὰς νήσους ἐπεραιώθη (cf. Cassii Dionis XLVIII 26). Hoc igitur tempore, quo Plancus Labieni impetu perterritus insulas Graecas petere coactus esset, carmen nostrum conscriptum esse putamus. Utut res se habet, non est carmen compositum post a. 35, quo anno Plancus iam in Syria fuit, huic provinciae ab Antonio praefectus (cf. Appiani V 144 et Vellei Paterculi II 83, 2). Carmen igitur ipsum potius ad iuvenilia Horatii carmina pertinere argumentis ex arte metrica petitis innisus recte vidit Heinzeus. Iam si chronologiam poematis propius definire, compositionem explicare, quid denique mythos de Teucro carmini insertus sibi vellet, enodare contigit, satis nobis fecisse videmur.

Varsoviae

MELETEMATON TRAGICORUM SPECIMEN

Scripsit

LADISLAUS STRZELECKI

1. Naev. *Lyc.* frg. III (= v. 19)[1].

Fragmentum, cuius textum Ribbeckius sic constituit: *Liberi < sunt > quaque incedunt, omnis arvas opterunt,* Nonii Marcelli debetur copiis, a quo p. 192, 31 lemmatis *arva* comprobandi gratia est allatum, scilicet ut hanc vocem ab antiquis feminino genere esse solitam efferri evinceretur. Sed si criticum qui dicitur accuratius perspexerimus apparatum, nemo, credo, erit, quem possit fugere, quantopere textus Ribbeckianus traditaque in codicibus Nonianis lectio inter sese differant. Etenim perspecto critico apparatu a Ribbeckio textui subiecto nec non notis criticis Nonii editionum cum a Luciano Muellero[2] tum a Lindsayo[3] curatarum codicum lectionem hanc esse apparet: *Arva neutri sunt generis... Feminino. Naevius Lycurgo lib. II quaque incedunt omnis arvas opterunt.*

Inveterata quaedam corruptela irrepsisse videtur neque abs re fore credo, si lectionem modo allatam consensu Nonianorum codicum esse traditam disertis monuerim verbis. Ac cum iam dudum, quid sibi vellent illa *lib. II*, quaereretur, primus, quod quidem ego viderim, Mercerus ille, Nonianae *Compendiosae Doctrinae* editor saeculi XVI spectabilis[4], vocem *Liberi* in Naeviano versu obviam a librario nebulone perperam esse intellectam magno cum mentis acumine coniecit; quo esse factum, ut verba *lib. II* in textum irreperent, tamquam Naeviana tragoedia in libros aliquot esset divisa: esse genetivum singularis casum vocis *Liber* — de Baccho Naevius scilicet videtur esse locutus — Mercerus perspexit, cuius coniecturam — ne dicam emendationem eamque pal-

[1] Numeri sunt editionis Ribbeckianae: *Tragicorum Romanorum Fragmenta* [3], Lipsiae 1897.

[2] Noni Marcelli *Compendiosa Doctrina*, voll I—II, Lipsiae 1888.

[3] Nonii Marcelli *de Conpendiosa Doctrina libros ed.*, vol. I—III Lipsiae 1903.

[4] Ed. Nonii, Parisiis 1583.

marem — plerisque doctis fuisse probatam non est quod mirere. Fuere, qui non de Bacchi dei nomine, sed de adiectivo, quod est *liber, a, um,* agi suspicarentur [5], sed utut est, Merce-rus acu rem tetigisse videtur [6].

Sed iam ulterius progredi liceat: cum reliqua fragmenti verba sana esse appareat nec ullo pacto sollicitanda, quid sibi velit numerus *II* fragmento praemissus, non uno nomine refert scire. Quod quidem omnes viri docti prorsus neglexerunt neque unde tantus tamque mirus originem duxisset error, explicare sunt conati. Dicet aliquis errorem ex errore nasci solere. Esto, sed si quis hoc responso sit contentus, is respondeat mihi, quaeso, cur nullus alius numerus nisi ille *II* sit additus. Quod ut explicetur, age temptemus illa *lib. II* neglecta numeri nota plenis exscribere verbis: at, hercule, nihil aliud evadat necesse est, nisi haec: *libro secundo;* quae verba una littera inserta — illo *e* scilicet — ita immutantur, ut nanciscamur lectionem *Libero secundo.* Quam si vel cum his Maronis contulerimus verbis:

Dis equidem auspicibus reor et Iunone secunda
hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas (*Aen.* IV 45 s.).
Parte alia ventis et dis Agrippa secundis
arduos agmen agens... (*Aen.* VIII 682 s.),

[5] Sic Lucianus Muellerus vocem *Liberi* pro adiectivo esse habendam censuit atque fragmentum in modum perscripsit hunc:

liberi,
quaquomque incedunt, omnis arvas opterunt.

Ribbeckius cum in libro de tragoedia Romana (*Die römische Tragoedie im Zeitalter der Republik.* Lipsiae 1875 p. 58) tum in fragmentorum editione vocem *Liberi* pro adiectivo habuit, sed posse quoque de Bacchi nomine cogitari monuit (*fortasse Liberi nomen cavillatur nuntius* p. 10).

[6] Solus, quod equidem sciam, Lindsayus parum Mercero confisus vocem *Liberi* in textum recipere noluit fragmentumque hoc edidit modo:

i quaque incedunt, omnis arvas opterunt.

Quid multa? In tragicorum Romanorum versibus ad genuinam formam revocandis caute esse agendum et ipse video et Lindsayum, virum doctissimum, huic oneri sufferendo inprimis fuisse parem nemo audet negare, sed hoc loco cautius, quam fas erat, vir doctissimus egit exclusa Merceri palmari coniectura. At si quid video, Merceri coniectura contempta fieri non potest, ut unde error duxerit originem, apte explicetur.

fieri non potest, quin illa *Libero secundo* nullam aliam vim habentia nisi *Baccho favente* Naevii esse genuina verba credantur reliquaeque fragmenti praemittantur parti. Itaque fragmentum in modum restituatur necesse est hunc: *Libero secundo quaque incedunt, omnis arvas operiunt*, qui textus a lectionibus supra memoratis eo differt eaque re omnes superat, quod sola codicum nititur fide [7]. Cum autem sensus sit optimus — nam Bacchae Baccho favente coetum celebrantes agros camposque vastare traduntur [8] — de re metrica quoque nihil esse, quod dubitetur, scito: octonariorum enim trochaicorum frustula tam sunt manifesta tamque clare se nostris offerunt oculis, ut nihil videatur impedire, quominus fragmento ultimam imponentes manum sic scribamus.

Libero secundo

quaque incedunt, omnis arvas ‖ *operiunt* ⏑ – ⏑ – ⏓

2. Enn. *Melan.* frg. III (= v. 249 s.).

Fragmentum, quod nunc tractandum suscipio, bis a Nonio est allatum [9] et ita quidem, ut uterque locus plane fere inter sese congruat, nisi quod p. 176 illud *ut* est omissum, id quod librario parum diligenti vitio esse dandum luce est clarius. En tibi verba a Nonio tradita:

regnumque nostrum ut sospitent superstitentque.

Quod fragmentum quamvis ex sensu minime laboret, tamen quo modo dimetiendum sit, adhuc non liquet; quo factum est, ut alii alia divinando conicerent [10]. Equidem integrum

---

[7] Quae verba postquam integra fere Naevio ipsi vindicavimus, nunc demum qua via illa *lib. II* in librorum Nonianorum irrepserint archetypum compertum habemus: librarius enim, qua solebant esse eius modi homines incuria, cum verba *Libero secundo* perlegisset, non de Baccho comitibus favente, sed de libri numero agi ratus in tantum errorem se induci passus est.

[8] Conf. Ribbeck, *Die röm. Trag.* p. 58.

[9] P. 170, 10 s. v. *superstitent* et p. 176, 2 s. v. *sospitent.*

[10] Sic Ribbeckius duorum senariorum iambicorum frustula esse coniecit:

.... *regnumque nostrum ut sospitent*
superstitentque,

esse versum neque in duo frustula cum Ribbeckio dissecandum quovis contenderim pignore, Reizianum dico versum, id est dimetrum iambicum acatalectum sequente colo Reiziano:

rēgnŭmquĕ nōstrum ūt sŏspĭtēnt || sŭpērstĭtĕntquĕ.

Quaesierit sane quispiam, quonam iure Reizianum versum tragico Romanorum adscribamus poëtae, quem versum pro Reiziano haud inepte Plautinum possis nuncupare, utpote summo opere a Plauto adamatum saepiusque admissum; ex quo tamen Fraenkelius Plautinae polymetriae quae dicitur originem in tragicorum Romanorum Plautum aetate praecedentium vel certe Plauto fere aequalium — Livium Andronicum, Naevium Enniumque dico — fabulis esse quaerendam coniecit vel potius dicendum est: demonstravit[11], unumquemque versum vel unumquodque colon a Plauto admissum si tragicis adscribimus poëtis, neque quicquam delinquimus neque nostra opinio quadam carere videtur probabilitatis specie. Ceterum iam Lindsayus versum Reizianum a tragicis Romanis liberae rei publicae aetate viventibus esse solitum admitti coniecit, nam versum ex *Equo Troiano* Naeviana (v. 13) pro puro versu Reiziano posse haberi monuit, modo ne cum Ribbeckio tradita mutaretur lectio[12], immo

---

L. Muellerus illo *que* tamquam spurio delcto integrum adeptus est senarium:

regnumque nostrum ut sospitent, superstitent

(Q. Enni *Carminum reliquiae*, Petropoli 1884 p. 98; ed. Nonii I p. 249 et 258). Aliter Vahlenus: qui cum Ribbeckii tum L. Muelleri opinione improbata tradita mutari vetuerat verba, versum esse integrum — senarium scilicet hypermetrum — coniecit (*De Ennii Iphigenia*, Ind. lect. Berol. 1878 = *Opuscula Academica* vol. I. Lipsiae 1907 p. 56; *Ennianae Poesis reliquiae*[2], Lipsiae 1903 p. 174). Verbo admoneo Lindsayum in Nonii editione ita rem egisse, ut integrum esse negaret versum, immo partem diceret esse longioris versus — octonarii iambici, ut videtur — cuius exitus desideraretur (p. 250 et 258).

[11] *Plautinisches im Plautus*, Berol. 1922 p. 321 ss, RE VI Suppl. s. v. *Naevius* col. 652 ss. Conf. G. Przychocki, *Plautus*, Cracoviae 1925 p. 426 s.

[12] Ribbeckius vocibus *manu moriare* transpositis senarium iambicum dimensus est:

numquam hodie effugies quin mea moriaris manu.

vocabulorum ordo codicum consensu traditus servaretur[13]; servata enim verba integrum purissimumque efficiunt versum Reizianum:

numquam hodie effugies, quin mea || *manu moriare.*

Si cui Lindsayus parum persuasit, is respondeat, quaeso, quanam re Naevianus versus a Plautinis differre videatur versibus his:

Aul. 439 *ibi ubi tibi erat negotium ad* || *fŏcŭm sĭ ădéssēs*
Aul. 160 *eam si iubes, frater, tibi* || *mē pŏscĕrĕ pŏscăm,*

quibus similes sescentos afferri posse nemo nescit.

Sed redeamus ad Ennium, a quo sumus profecti: de dimetro iambico acataleeto vix est, quod dubitetur: maiore autem difficultate se affici dicet fortasse aliquis colo Reiziano in comparationem vocato, illo *superstitentque* scilicet. Sed illud imprimis est tenendum colon Reizianum a Plauto liberrime formari posse et nulla alia lege Plautum in his colis componendis constrictum teneri esse solitum, nisi ut eis binae arses trinaeque inessent theses[14]. Quam ob rem possum afferre exempla Plautina, velut haec: *Amph.* 641 *vĭdĕndī fŭĭt; Amph.* 643 *hīnc ăntĕ lūcĕm*[15]; *Aul.* 417 *quīd cŏmmĭnātū's*, possum afferre integros versus Reizianos, ita comparatos, ut quasi gemelli sint fratres, „sicut lacte lactis similes", Enniani versus, quem tractamus:

Plaut. *Bacch.* 1124 *āt pŏl nĭtēnt, haū sŏrdĭdaē* || *vĭdĕntŭr ămbaē.*

Plaut. *Trin.* 253 *fīt ĭpsĕ, dum īllīs cŏmīs ēst,* || *īnŏps ămātŏr.*

Quibus Plauti versibus Enniique fragmento inter sese collatis vix reor ambigendum, quin *Melanippae* Ennianae fragmentum III pro integro Reiziano sit habendum versu.

---

[13] *Early Latin Verse*, Oxonii 1922 p. 279 adn. 2.

[14] Conf. F. Leo, *Die Plautinischen Cantica und die hellenistische Lyrik*, Abhandl. der Königl. Gesellschaft der Wiss. zu Göttingen, Philol.-hist. Klasse N. F. I 7. Berol. 1897 p. 59: Lindsay, *Early Lat. Verse* p. 280.

[15] Utrumque locum pro colo Reiziano esse habendum satis mihi persuasit Crusius, *Die Responsion in den Plautinischen Cantica*, Philol. Suppl. 21, 1 (1929) p. 75.

Sed antequam ad alia fragmenta transgredior tractanda, oleum et operam me non esse credo perditurum, si plura cola Reiziana in tragicorum Romanorum latere monuerim reliquiis, modo ne in textu Ribbeckiano, sed in critico exquirerentur apparatu. Exempli gratia *Atalantae* Pacuvianae fragmentum II (v. 44/45) a Nonio p. 490. 14 (s. v. *itiner*) allatum Ribbeckius pro trochaico habuit octonario auctore Buechelero, qui versum misere languidum erat dimensus[16]:

Dolet pigetque magis magisque me conatum hoc nequiquam itiner.

Equidem nihil obstare dico, quominus duo cola Reiziana sequente dimetro anapaestico acatalecto statuamus membraque hunc in modum distribuamus:

dŏlĕt pĭgĕtquĕ || măgĭs măgĭsquĕ | mē cŏnātum hōc | nēquĭquam ĭtĭnĕr.|

Reiziana cola saepe in Plauti fabulis anapaestis mixta esse satis videtur constare sescentisque potest comprobari exemplis[17]. Ac ne quid omisisse videamur, *Stichi* Plautinae afferam versus 7 ss. quo loco dimetrum anapaesticum acatalectum cola sequuntur Reiziana:

nostrum officium | nos facere aequomst | (dim. anap. acat.)
neque id magis facimus (colon Reiz.)
quam nos monet pietas (colon Reiz.).

Nonne eadem esse videmus metra atque in Pacuviano agnovimus fragmento, nisi quod apud Plautum anapaesti colis excipiuntur Reizianis, cum apud Pacuvium anapaesti cola Reiziana sequantur? Sed haec et his similia utcumque possunt aestimari, allatis exemplis satis superque videor docuisse versus Reizianos colaque Reiziana a tragicis Romanorum poëtis minime aliena fuisse.

---

[16] *Trag. Rom. Fragm.* p. 93.

[17] Audi Lindsayum: *Next to Iambic, we find Anapaestics more often combined with it* (sc. colon Reizianum) *than any other metre* (p. 279), conf. Leo p. 59 ss.

3. Enn. *Teleph.* frg. III (= v. 285).

De *Telephi* Ennianae fragmento III disputaturus operae pretium me esse credo facturum, si primum attulerim fragmenti textum codicum Nonianorum auctoritate traditum — nam id fragmentum ad Nonianos penus redire scito — addita brevi Festi mentione, cui praeter Nonium debetur idem fragmentum vel potius dicendum est: fragmenti reliquiae: Non. 537,23 *Stolam non honestam vestem solum, sed etiam omnem, quae corpus tegeret. Ennius Telepho:*

cedo et caveo cum vestitus, squalida saeptus stola (frg. III). *idem in eadem:*

regnum reliqui saeptus mendici stola (frg. I).

Fest. p. 440, 35 Linds. < *Squalidum in* >*cultum et sord-* < *idum* >... ... < *Ennius* > *in Telepho: Quam ve ... stola.*

Fragmentum specie tam foede est corruptum tamque iniuria temporum vexatum, ut viros doctos id sanare esse conatos minime sit mirandum. Itaque, ut in re tam perplexa solet fieri, alii alia divinando coniciebant; sic textus a Ribbeckio editus variis variorum tantopere scatet coniecturis, ut non multum absit, quin plura immutata quam servata esse iure contendas. En tibi fragmentum a Ribbeckio editum: *caedem caveo* < *hoc* > *cum vestitu, squalida saeptus stola*[18], neque melior est huiusce fragmenti in Diehliana editione condicio:

centone caveo convestitus, squalida saeptus stola[19].

Quantopere fragmentum depravatum visum sit, vel ea res indicio nobis potest esse, quod Lucianus Muellerus, homo audax, quem sibi res, non se rebus subiungere consuevisse sa-

---

[18] Illud *hoc* supplendum esse Madvigius coniecit atque fragmentum sic scribi iussit:

Cedo et abeo hoc cum vestitu, squalida saeptus stola

(*Adversaria critica* vol. II. Hauniae 1873 p. 668). Vocem *cedo* in illud *caedem* mutari iussit Geelius.

[19] *Poetarum Romanorum Veterum reliquiae*, Bonnae 1911 p. 45. Illa *centone* et *convestitus* non Diehlii, sed Leonis esse scito (F. Leo, *De tragoedia Romana observ. crit.*, Gottingae 1910 p. 11).

tis, opinor, constat, locum pro prorsus corrupto habuit et de restituenda desperavit lectione, dum, siquid in talibus rebus licet divinare, imprimis voce *vestitus* impeditur, quominus versum ad genuinam posset revocare formam:

cedo et caveo cum vestitus †, squalida saeptus stola[20].

Ac ne quid omisisse videamur, Lindsayum quoque versum sanare non potuisse verbo est admonendum[21].

Quae cum ita sint, audacis est in arenam tantorum virorum tritam pedibus iterum descendere, ut depravato coner mederi versui, tot tantisque scatenti mendis, sed cum audaces fortuna soleat iuvare, rem ausus difficillimam, si quid proficiam, temptaturus sum. Summa, si quid video, difficultate afficiebantur docti in voce *vestitus* explicanda, quam Nonianorum codicum consensu esse traditam admoneo, cum omnes fere eam pro substantivi *vestitus* nescioquo haberent casu: quod cum nullo modo ad reliqua fragmenti quadrare verba videretur, viri docti vel inviti traditam immutare lectionem illudque *vestitu* scribere sunt coacti. Accedebat, quod apud Nonium illud *cum* praecedebat, quae res opinioni de ablativo illius *vestitus* casu favere videbatur. Sed in Festi — cuius in his rebus auctoritas pluris est facienda quam Nonii — semiusto et lacerato codice illud *quam* esse obvium imprimis tenendum est, quod illi Noniano *cum* utique est praeferendum. Ut iam supra monui, propter foedam lacunam nihil apud Festum legitur, nisi haec: *quam ve ..... stola*[22], sed si lacunam No-

[20] At in Ennianorum carminum editione audacior fuerat ita scribens:

cedo et abeo hoc cum vestitu, squalida saeptus stola (p. 98).

[21] Lindsayus versum sic edidit:

† *cedo et caveo cum vestitus, squalida saeptus stola.*

Crux fragmento praemissa indicare videtur virum doctissimum de versu corrigendo desperasse. Iisdem verbis hoc fragmentum perscriptum in Vahleniana exstat Ennii editione (p. 181), sed quae in nota huic versui subiecta effutivit, ut servata codicum lectione versum omni ex parte sensu carere negaret, absurda sunt vixque memoratu digna.

[22] Ipse Vahlenus tantopere in hoc fragmento interpretando traditae inhaerens lectioni se ignorare professus est, quid illi *quam* esset faciendum: *sed de Festi 'quam' quid iudicandum sit ambigo* (p. 181).

nio in auxilium arcessito expleverimus, evadat necesse est hic versus: *quam vestitus squalida saeptus stola.* Cum autem Vahleni cura factum est, ut Festi — vel potius dicam Verrii — in afferendis poetarum versibus placita cognita haberemus, placita dico, saepissime summa religione servata, nam Verrius ita rem egit, ut non tam sensus quam metri cura praecipua habita saepe manca sententia integri afferrentur versus[23], supra eruta verba senarium esse iambicum, capite privatum, statuemus. Et unam quidem syllabam Verrium in afferendo versu neglexisse cum sit vero absimile, vix equidem reor ambigendum, quin interiectio *o* fragmento sit praemittenda: et ea quidem vox latere videtur in verbo *caveo* Nonianorum codicum consensu tradita, a Festini autem codicis librario nebulone parumque diligenti — fabulae titulo in eandem litteram exeunte (*in Telepho*) — cur sit omissa, perfacile potest explicari. Itaque integrum adepti sumus senarium:

o quam vestitus, squalida saeptus stola,

id quod Verriana fragmentorum afferendorum ratione apte commendatur.

Sed quaeret quispiam, quid sibi supra allata velint verba. Vox *vestitus* nihil aliud est, nisi *vestitus es*, nam hoc modo voces brevi vocali et illo *s* terminatas verbo *es* subsequente in libris manu exaratis scribi solere vel inter tirones constat[24]. Cui rei certissimo est documento Ambrosianus, qui vocatur, Plauti palimpsestus, gravis sane spectabilisque testis — πολὺς γὰρ ἐν βροτοῖσι κοὐκ ἀνώνυμος — qui abundat eius generis exemplis. Et cum Studemundi, viri doctissimi, cura sit factum, ut commode eius codicis possemus uti apographo[25], sescenta possum inde expromere Plautina exempla, ut puta: *Epid.* 697 AUSUS (sc. *ausu's* = *ausus es*), *Men.* 177 FABULATUS (sc. *fabulatu's* = *fabulatus es*), *Trin.* 63 NANCTUS (sc. *nanctu's* = *nan-*

---

[23] *Enn. poes. rell* p. LXVII ss. Conf. meas *Quaestiones Verrianas*. Travaux de la Société des Sciences et des Lettres de Varsovie, Classe I No 13, Varsoviae 1932 p. 18.

[24] Confer exempli gratia: W. M. Lindsay, *The Latin Language*, Oxonii 1894 p. 123; *Early Latin Verse* p. 74; Leo, *Plautinische Forschungen* [2], Berol. 1912 p. 281.

[25] T. Macci Plauti *Fabularum reliquiae Ambrosianae*, Berol. 1889.

ctus es) et quae sunt similia [26] neque a tragicorum Romanorum usu eam rem abhorrere hic Pacuvii testatur versus (v. 327):

segregare abs te ausu's aut sine illo Salamina ingredi.

Restat, ut de illo *quam* breviter agamus, nam erunt fortasse, qui id in interrogativis et exclamativis enuntiatis adverbiis adiectivisque convenire, verbis non item dicant. Quod ne fiat, rem his exemplis comprobare volo: Cic. *Phil.* II 20 *Quam id te, di boni, non decebat! Pro Mil.* 43 *Quam hoc non credibile in hoc! quam idem in Clodio non dubitandum, cum se ille interfecto Milone regnaturum putaret! Div.* I 25 *auspicia vero vestra quam constant. Tusc.* II 17 *Sed Epicuro, homini aspero et duro, non est satis: in Phalaridis tauro si erit, dicet: Quam suave est! quam hoc non curo!*

De hac fragmenti parte hactenus, postquam in illo *quam* nihil esse docuimus, quo offenderetur. Quae relinquuntur verba *cedo et cave* apud solum Nonium servata — illud *o* finale verbi *caveo* nos subsequenti versui adiunxisse admoneo — explicatu sunt facillima neque in eis ulla coniecturis area videtur patere: itaque illo *et* tamquam spurio deleto nihil restat nisi haec: *cedo cave,* quae idem valent atque *age cave* vel *age cautus es:* illud *cedo* enim ad imperativum praesentis solet accedere eiusque vim firmare, quod potest illustrari vel his exemplis: Sen. *dial.* 5, 34, 1 *cedo nunc, persequere cetera,* Apul. *Met.* I 4 *sed iam cedo tu sodes, qui coeperas, fabulam remetire* neque diverso sensu legitur illa vox in *Aulularíae* Plautinae versu 157:

his legibus dare vis? cedo nuptias adorna,

modo ne cum L e o n e post illud *cedo* interpungeretur [27].

Quae cum ita sint, fragmentum hoc modo videtur esse scribendum:

cedo [et] cave!
o quam vestitu's, squalida saeptus stola!

Postquam iam ultimam imposui manum fragmentique constitui textum, vix possum retineri, quin me illo *et* ex-

[26] Confer *Indicis Orthographici* a Seyffertio curati, Studemundiano libro adiecti paginam 505.

[27] *Plauti comoediae* rec. et emend., Berol. 1895.

cepto [28] codicum retinuisse scripturam magisque in servatae lectionis vi interpretanda, quam in textu corrigendo sudavisse moneam: quo autem propiorem traditae lectioni esse textum, eo maiorem veri prae se ferre speciem quis negaverit?

Qua re ad finem perducta videndum est, quo modo fragmentum III cum fabulae argumento possit consociari. Incipiendum est ab eiusdem fabulae fragmento I (v. 285), quod sub eodem lemmate a Nonio allatum ita est positum, ut excipiat fragmentum III. Et Lindsayus quidem qui variis scriptis Nonianos auctores Nonianique operis compositionem prospero successu perscrutatus erat quidque inde ad verum fragmentorum ordinem cognoscendum redundaret, primus solusque docuerat [29], in deperdita Ennii fabula fragmentum III ante fragmentum I stetisse sagaciter demonstravit eamque rem non fallacibus coniecturis, sed certis argumentis probavit [30]. Quod autem nullo pacto consociari potest cum fabulae Ennianae forma a Ribbeckio restituta, qui fragmentum I e prologo, fragmentum III e posteriore scaena esse surreptum coniecit, qua Ennius Telephum cum Clytaemestra colloquentem eique fata sua enarrantem induxisse videtur [31]. Sed nihil impedire videtur, quominus fragmentum III Clytaemestrae detur et ad initium huiusce scaenae referatur: conspecto enim Telepho mendici pannis obsito Clytaemestra primum exclamavit, ut summo caveret opere, ne a quodam familiarium cognosceretur deprehendereturque, tum regem,

---

[28] Illud *et* pro spurio esse habendum uncisque includendum dixi. Quae cum ita sint, par est, ut coner explicare, qui sit factum, ut spuria vox in textum irreperet. Etenim cum interiectio exclamativa *o* nescio quo modo imperativo *cave* esset adiuncta et ex imperativo modus indicativus *caveo* esset factus, librarius vel certe corrector quidam voces *cedo* et *caveo* eiusdem enuntiati praedicata esse ratus coniunctionem inseruit, ne textus a solita loquendi differret consuetudine.

[29] Nonius Marcellus' *Dictionary of republican Latin* (= St. Andrews University Public. No 1), Oxonii 1901; *De citationibus apud Nonium Marcellum*, Philol. 64 (1905) pp 438—464; *De fragmentis scriptorum apud Nonium servatis*, Rhein. Mus. 57 (1902) pp 196—204.

[30] *De fragm. script.* p. 202.

[31] *Die röm. Trag.* p. 106 s. Etiam Lucianus Muellerus frg. III post frg. I in Ennii fabula stetisse coniecit (*Q. Enn.* p. 98). Felicius res cessit Vahleno (*Enn. rell.* p. 181 ss).

regia purpura antea ornatum. nunc sordida squalidaque veste indutum processisse se mirari dixit: porro res ita videtur acta esse, ut Telephus Clytaemestra rogante fata enarraret sua, cui narrationi fragmentum I *regnum reliqui saeptus mendici stola* debetur. Ita igitur rem diiudicavimus, ut fragmentum III ante fragmentum I in fabula Enniana stetisse crederetur, sicut Lindsayus ea fragmenta iusserat collocari.

4. Pacuv. *Chrys.* frg. VI (= vv 86 ss) et frg. VII (= v. 93).

Fragmenta, quae nunc sum tractaturus, ita a Ribbeckio sunt edita:

frg. VI

(86) *Hoc vide, circum supraque quod complexu continet*
(87) *Terram*
(88) *Solisque exortu capessit candorem, occasu nigret,*
(89) *Id quod nostri caelum memorant, Grai perhibent aethera:*
(90) *Quidquid est hoc, omnia animat format alit auget creat*
(91) *Sepelit recipitque in sese omnia, omniumque idem est pater,*
(92) *Indidemque eadem aeque oriuntur de integro atque eodem occidunt.*

frg. VII

(93) *Mater terrast: parit haec corpus, animam* < *autem* > *aeter adiugat.*

Cave fragmentum VI ita ab aliquo auctore esse servatum credas, ut a Ribbeckio est edolatum. Disiecti poetae membra a variis auctoribus servata a Scaligero Ribbeckioque [32] in unum sunt congesta et inter sese coniuncta. sed num omnia a Ribbeckio recte sint perspecta, summo opere reor dubitandum. Quod quo fiat clarius simulque quo melius videamus, quaenam ratio sit adhibenda, si textum voluerimus restituere, omnia auctorum testimonia sunt afferenda:

Varro *de l. L.* V 17 *sic caelum et summum ubi stellae, et id quod Pacuvius, cum demonstrat, dicit: „Hoc vide, circum*

[32] Scaligeri opiniones e Ribbeckii tantum novi mentionibus (in notis ad hunc locum).

supraque quod complexu continet terram", cui subiungit: „id quod nostri caelum memorant".

Varro *de l. L.* V 19 *et hinc caelum, quoniam ut dixi: „hoc circum supraque quod complexu continet terram" cavum caelum.*

Cicero *de nat. deor.* II 36, 91 *mutuemur hoc quoque verbum dicaturque tam aether Latine, quam dicitur aer, etsi interpretatur Pacuvius: „hoc quod memoro, nostri caelum, Grai perhibent aethera", quasi vero non Graius hoc dicat, at Latine loquitur.*

Nonius p. 144, 8 *Nigret, nigrefit. Pacuvius Chryse:*
solisque exortu capessit candorem, occasu nigret.

Cic. *de div.* I 57, 131 *ut ille Pacuvianus, qui in Chryse physicus inducitur, minime naturam rerum cognosse videatur... Cur? quaeso. cum ipse paucis interpositis versibus dicas satis luculenter: „Quidquid est hoc, omnia animat format alit auget creat sepelit recipit in sese omnia, omniumque idem est pater, indidemque eadem aeque oriuntur de integro atque eodem occidunt".*

Lucret. *de rer. nat.* V 318 ss:

Denique iam tuere hoc, circum supraque quod omnem
continet amplexu terram: si procreat ex se
omnia, quod quidam memorant, recipitque perempta,
totum nativum mortali corpore constat.
nam quodcumque alias ex se res auget alitque
deminui debeat, recreari, cum recipit res.

Non. p. 75, 8 *adiugare, adiungere. Pacuvius*[33] *Chryse:*
Mater est terra ea parit corpus, animam aether[34] *adiugat.*

Varro *de l. L.* V 60 *caelum et terra omnia exgenuerunt, quod per hos natura „frigori miscet calorem atque humori aritudinem". recte igitur Pacuvius quod ait: „animam ether adiugat".*

---

[33] Codices non Pacuvio, sed Plauto eum tribuunt versum, id quod iam in Aldina Nonii editione, Venetiis a. 1513 publici iuris facta correctum est: ceterum non Nonii, sed librarii culpa errorem exstitisse moneo, sicut iam Vahlenus dixit (*Opuscula academica*, Pars posterior, Lipsiae 1908 p. 479 ss).

[34] Quo modo in libris Nonianis illa vox sit tradita, e Lindsayano apparatu critico discere potes.

Versus 86—87, 89, 90—92 esse coniungendos, sicut Scaliger iussit, certissimo est nobis documento Lucretii locus, supra allatus, quo poetam, Epicuri de grege unum, Pacuvii locum imitari Pacuvianamque in mente habere opinionem de aethere omnium rerum patre luce est clarius. Ac his quidem causis commotus Scaliger versus coniungendos esse dixit disiectisque poetae membris in unum congestis unum effecit fragmentum. Quod vero Ribbeckius latius Scaligero rem spectare ratus versum 88 inseruit, eum acu rem tetigisse infitiandum est, nam is versus adeo ab huius loci colore alienus videtur tamque diversa est eius natura, ut audacis sit eum huc inserere. Accedit, quod in *Chrysippi* Euripideae fragmento 839 [35] — quod a Pacuvio his in versibus componendis esse expressum dudum docti observavere Euripideumque fragmentum cum Pacuviano loco conferri iussere [36] — ne verbo quidem de caeli colore dictum est: quin et apud Lucretium, Pacuvii locum interpretantem, nec vola nec vestigium eius rei restat. Quae cum ita sint, non est dubium, quin versus 88 cum hoc loco nihil commune habeat [37].

De versu 89 paucis dicendum est: qui cum et a Cicerone et a Varrone sit allatus et ita quidem, ut apud Ciceronem diversa atque apud Varronem lectio proponeretur, quaestio oboritur, utra sit praeferenda: ac suspicio subeat necesse est Varronem grammaticum eumque accuratissimum in auctorum locis afferendis maiore dignum esse fide, quam Ciceronem, hominem litteratum, quem veterum poëtarum studiosissimum, memoriae suae confisum, saepe allata verba mutavisse, saepe immutata suae ipsius orationi immiscuisse constat; neque obliviscendum verba a Varrone tradita *id quod nostri caelum memorant* apud Lucretium quoque recurrere [38], quam ob rem nos Varroniana verba Ciceronianae praeferre lectioni omnibus credo probatum iri.

---

[35] Numeri sunt Nauckianae editionis: *Tragicorum Graecorum Fragmenta* ², Lipsiae 1889.

[36] Nauck l. l. p. 633 ss, Ribbeck, *Die röm. Trag.* p. 256 ss; *Trag. Rom. Fragm.* p. 99.

[37] Quem versum iure Dichlius eiecit (l. l. p. 52).

[38] Lucretianum *memorant* alio atque Pacuvianum spectat, sed Pacuvianam memoriam apud Lucretium residere luce est clarius.

Sed, ut alia omittam, post verba *complexu continet terram* esse lacunam explendam ipso metro edocemur; quae si possit expleri, temptandum est. Equidem rem posse diiudicari reor, si accuratius *Chrysippi* Euripideae perpenderimus fragmentum nec non Lucretianum quendam locum (II 991 ss), quae omnia inter sese esse conexa docti dudum perspexere[39]. Euripidei fragmenti verba sunt haec:

Γαῖα μεγίστη καὶ Διὸς αἰθήρ,
ὁ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ,
ἡ δ' ὑγροβόλους σταγόνας νοτίας
παραδεξαμένη τίκτει θνητούς,
τίκτει βοτάνην φῦλά τε θηρῶν·
ὅθεν οὐκ ἀδίκως
μήτηρ πάντων νενόμισται.
χωρεῖ δ' ὀπίσω
τὰ μὲν ἐκ γαίας φύντ' εἰς γαῖαν,
τὰ δ' ἀπ' αἰθερίου βλαστόντα γονῆς
εἰς οὐράνιον πάλιν ἦλθε πόλον·
θνήσκει δ' οὐδὲν τῶν γιγνομένων,
διακρινόμενον δ' ἄλλο πρὸς ἄλλου
μορφὴν ἑτέραν ἀπέδειξεν[40].

Pacuvius cum Euripidis verba exprimeret Euripidemque ducem potissimum sequeretur, Romanorum more alia omisit, alia in breve contraxit, alia sua Minerva mutavit; illud in hac re peculiari mentione dignum est, quod Pacuvius ab Euripidei fragmenti sententia paulisper abscedens remque propriis curis adumbrans rerum videtur retinuisse ordinem; sed ne hac quidem re perpensa satis liquet, quanam re commotus

[39] Cf. supra adn. 36.

[40] Cf. Lucr. II 991—1001.
Denique caelesti sumus omnes semine oriundi;
omnibus ille idem pater est, unde alma liquentis
umoris guttas mater cum terra recepit,
feta parit nitidas fruges arbustaque laeta
et genus humanum, parit omnia saecla ferarum,
pabula cum praebet quibus omnes corpora pascunt
et dulcem ducunt vitam prolemque propagant;
quapropter merito maternum nomen adepta est,
cedit idem retro. de terra quod fuit ante.
in terras, et quod missumst ex aetheris oris,
id rursum caeli rellatum templa receptant.

Pacuvius — si Ribbeckianum fragmentum pro unico haberemus teste — memorare supersederit, quas partes terra in procreandis animantibus haberet. Aethera omnium rerum patrem tragicus appellavit poëta et recte hoc quidem, cum et Euripides ὁ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ dixerit nec Lucretius disertis verbis eandem rem neglexerit adumbrare: *omnibus ille idem pater est*. De terra matre mentionis nec vola nec vestigium apud Pacuvium restat, licet cum apud Euripidem tum apud Lucretium medio sit posita loco (Eur.: ὅθεν οὐκ ἀδίκως μήτηρ πάντων νενόμισται. Lucr.: *quapropter merito maternum nomen adepta est*), quam ob rem eam apud Pacuvium quoque stetisse et quidem medio fragmenti loco haud est vero absimile. Accedit, quod verbum *animat* in versu 90 obvium ex aëre videtur pendere, de quo parum liquet, si quis solo fragmento VI acquiesci posse censet. Quaeritur enim, quid Pacuvius in mente habuerit aetherem omnia animare dicens neque ambigitur, quin in genuino Pacuvii textu versum 90 mentio quaedam antecesserit, ad quam hic versus tamquam ad rem effuse copioseque antea expositam spectat. Quae cum ita sint, fieri vix potest, quin veniat nobis fragmenti VII in mentem, cui de eadem re, quam in medio fragmento VI desiderari monuimus, mentio insit eaque luculentissima. Et cum post versum 87 lacunam esse statuendam ipso edoceamur metro, eam fragmento VII inserto explere haud dubito itaque rem in genuino Pacuvianarum fabularum exemplari se habuisse quovis pignore contendo. Quo facto et mentionem de terra matre, adhuc desideratam, medio fragmento reddimus coloremque loci restituimus et nunc demum illud *animat* suam vim videtur habere neque iam diutius, quorsus spectet, incertum erit.

Sed primum de fragmenti VII textu restituendo quaedam praefanda video, nam et illud quidem in Ribbeckiana editione multis variisque scatet coniecturis, quas haud scio an textui non sint necessariae. Quod cum in libris manu exaratis sic legatur, ut supra attuli, in Ribbeckiana editione lenis elegansque decurrit trochaicus septenarius, elegantior, quam genuina Pacuvii verba esse solent:

mater terrast: parit haec corpus, animam < *autem* > *aether adiugat.*

Equidem hanc ob rem Ribbeckiano textui parum confido [41], quod eius textu probato nullo modo explicari potest, qui sit factum, ut cum integrum fragmentum a Nonio Marcello servaretur, fragmenti autem exitus a Varrone, apud utrumque eadem vox desideraretur [42]. Quae cum ita sint, altera fragmenti pars ita est constituenda, ut librorum auctoritate est tradita; itaque sequitur, ut vocis *corpus* exiens syllaba ictu foede instrui septenariusque diaeresi post quartum pedem carere debeat [43]. Quod ne cui mirum videatur, apud neminem scaenicorum tantam esse turbam septenariorum legitima diaeresi carentium, quantam obviam esse in perpaucis Pacuvii tragici versibus, qui aetatem tulere, verbo admonuisse satis sit [44]. Itaque nihil iam obstat, quominus fragmentum

---

[41] Quis est, cui probetur versus, qualem pro Pacuviano Lucianus Muellerus in Nonii editione edolavit:

terra mater est.
ea parit corpus. pater tum fetu animam aether adiugat.

Lindsayus sic versum in Nonii editione edidit:

mater est terra: ea parit corpus. animam aether adiugat.

[42] Accedit, quod Nonio cum Varronis *de lingua Latina* libris nihil commune esse constat; qui cum inter suos XLI catalogos, de quibus Lindsayus copiose docteque disseruit (cf. supra adn. 29), Pacuvianarum fabularum haberet exemplar, attamen fabula, quae *Chryses* aut *Chrysippus* inscribitur (cf. infra p. 41), in illo exemplari desiderabatur; fragmentum igitur, quod tractamus, ad grammatici nescioquius redit copias; qui si e Varrone penderet auctore, unde, quaeso, prior fragmenti pars pervenisset? Cum igitur neque Nonius Varroni id fragmentum debeat neque Nonii auctor, inter voces *animam* et *aether* nullam esse statuendam lacunam pro certo est accipiendum.

[43] In illo *corpus* nihil esse, quo offenderemur, iam Vahlenus monuit (*Opusc. acad.* II p. 481).

[44] En habes exempla, quae exscribere liceat, ne quis rem inusitatam atque a Pacuviana arte alienissimam nobis probari dicat:

v. 61 *Habeo ego istam qui distinguam inter vos geminitudinem*
v. 123 *Faxis; ni turpassis vanitudine, aetatem tuam*
v. 130 *si quis hac me oratione incilet, quid respondeam*
v. 177 *o flexanima atque omnium regina rerum oratio*
v. 294 *sed nescio quid nunc est: animi horresco et gliscit gaudium*
v. 329 *liberum lacerasti orbasti extinxti. neque fratris necis*
v. 358 *quibus abest ad praecavendum intellegendi astutia*

VII deleta voce *terra*, utpote spuria, secundo fragmenti VI subiungamus versui et totum locum in modum restituamus hunc [45]:

(86) *Hoc vide, circum supraque quod complexu continet*
(87+93) *terram: mater est ea, parit corpús, animam aether adiugat.*
(89) *— id quod nostri caelum memorant, Grai perhibent aethera:*
(90) *quidquid est hoc, omnia animat format alit auget creat*
(91) *sepelit recipitque in sese omnia, omniumque idem est pater*
(92) *indidemque eadem aeque oriuntur de integro atque eodem occidunt.*

Restat. ut me plane adstipulari dicam Ribbeckio, qui fragmenta V, VI, VII non ad *Chrysen* fabulam, sed ad *Chrysippum* esse referenda coniecit [46]). Sed quoniam quaeretur fortasse, quid sit sentiendum de versu 88, quem iniuria Ribbeckium cum fragmento VI coniunxisse et post versum 87 posuisse monuimus, equidem in re dubia ducem haud ignobilem — Scaligerum dico — sequendum ratus eum versui 99 (frg. XII) subiungo et ita lego:

(99) *est ibi sub eo saxo penitus strata harena ingens specus*
(89) *solisque exortu capessit candorem, occasu nigret.*

---

v. 373 *ullam miseriam esse, temeritatem esse omnia autumant,*
v. 407 *nam si quae eventura sunt provideant, aequiperent Iovi*
v. 408 *Nerei repandirostrum incurvicervicum pecus.*

[45] Unde in codices Nonianos error irrepserit. perfacile est explicatu: nam Nonii auctor eodem modo fragmenta afferre consuevisse videtur atque Verrium afferre esse solitum monuimus, id est ut nulla sensus cura habita integri versus velut cultro ex auctorum exsecarentur exemplaribus. Itaque Nonii auctor integrum versum attulit:

terram. mater est ea, parit corpus, animam aether adiugat,

neque quicquam pensi fecit voci *terram* cum totius fragmenti sententia nihil esse commune. Quem versum cum Nonius exscriberet, sensu carere animadvertit lenissimaque coniectura adhibita vocem *terra* in *terram* mutavit atque inter illa *est* et *ea* posuit.

[46] *Die röm. Trag.* p. 256 ss.

5. Pacuv. *Ilion.* frg. IV (= 197 ss.).

Fragmentum, de quo nunc sum acturus, inter Pacuvii tragici fragmenta in primis celeberrimum, a Cicerone Horatiique scholiastis servatum, tam multa explicatione egentia exhibet, ut multos viros doctos eosque summos in eo corrigendo interpretandove sudavisse vix sit, quod mirere. Ac ne firmo disputandi careamus fundamento, fragmenti textus a Ribbeckio constitutus afferendus est et quoniam Arpinas, sicut eius fert consuetudo, in *Tusculanis disputationibus* sua ipsius verba poëtae versibus immiscuit, Ciceronis quoque locus expressis verbis afferatur necesse est, ne de re tam difficili tamque multa explicatu dignissima exhibente temere iudicetur.

En tibi fragmentum Ribbeckianum:

(197) *Mater, te appello, tu, quae curam somno suspensam levas.*
(198) *Neque te mei miseret, surge et sepeli natum* < *tuum* > *prius quam ferae*
(199) *Volucresque.*

* * *

(200) *Neu reliquias quaeso mias sireis denudatis ossibus.*
(201) *Per terram sanie delibutas foede divexarier.*

Ciceronis verba sunt haec (*Tusc.* I 44, 106): *ecce alius exoritur e terra, qui matrem dormire non sinat:*

'Mater, te appello, tu, quae curam somno suspenso levas
Neque te mei miseret, surge et sepeli natum!'

haec cum pressis et flebilibus modis, qui totis theatris maestitiam inferant, concinuntur, difficile est non eos qui inhumati sint miseros indicare. 'prius quam ferae volucresque' — metuit, ne laceratis membris minus bene utatur: ne combustis, non extimescit.

'Neu reliquias † semiassi reis † denudatis ossibus
Per terram sanie delibutas foede divexarier' —

non intellego, quid metuat, cum tam bonos septenarios fundat ad tibiam.

Porphyrio ad Horat. *serm.* II 3, 60 *Hoc versu clamitabant, qui est Pacuvii:*

'Mater, te appello, tu, quae curam somno suspensam levas'.

Pseudoacro ad Horat. *serm.* II 3, 60: *....hic* (sc. Polydorus) *necatus sorori noctu venit in somniis rogans, ut sepeliretur, hoc dicens: 'Mater, te appello, exsurge et sepeli me!'* [47].

Quibus locis exscriptis neminem fore credo, quin quae quantaeque oriantur difficultates, videat: versus enim a Ribbeckio editi meri sunt iambici octonarii, cum Tullius aperte septenarios dicat, non iambicos scilicet, sed trochaicos. Qua cura ut liberaremur, alii alia temptavere: sic Lambinus pro *septenarios* illud *octonarios* in Ciceronis textu scribi iussit, quae coniectura nullam fere probabilitatis prae se fert speciem, siquidem medii aevi librarios, homines rei metricae imperitissimos, pro parum sibi nota voce *octonarii* aeque ignotam vocem *septenarii* in textum intulisse vix est credibile. Fuere, qui Ciceronem *erravisse per festinationem* dicerent et nos versus a Cicerone allatos, non Ciceronem testem sequi debere admonerent [48]. Quod vix crediderim: quis est enim, qui Ciceronem veterum poëtarum, theatri musicaeque amantissimum adeo credat in scribendo dormivisse, ut cum aperte versus septenarios vocaret, se non septenarios trochaicos, sed iambicos octonarios attulisse non animadverteret? Haec fuit causa quibusdam doctis — velut Ritschelio —, cur allata a Cicerone Pacuvii verba in septenariorum trochaicorum numeros vellent redigere [49]:

Mater, te appello, quae curam somno suspensam levas
Neque mei te miseret, surge age et sepeli natum < tuum >
Priusquam < me > ferae volucresque....
Neu reliquias meas sic siris denudatis ossibus
Taetra sanie delibutas foede divexarier.

De textu supra allato pauca liceat dicere. Ut omittam coniecturarum turbam, tot verba addita, tot mutata, versus 197 summam movet dubitationem [50]: etenim Ritschelius septenarium trochaicum est dimensus illo *tu* deleto. Quod quoniam

[47] Conf. praeterea: Hor. *serm.* II 3, 60; Cic. *pro Sest.* 59, 126; *acad. pr.* II 27, 88.

[48] Vahlen, *De veterum poëtarum versibus a Cicerone citatis* (Ind. lect. hib. Berol. 1879/80 = *Opusc. Acad.* I. Lipsiae 1907 p. 92 ss) p. 95.

[49] *Opuscula Philologica* III Lipsiae 1877 p. 26 adn. 49.

[50] Ritschelianos septenarios iure iam Vahlenus (p. 95) Ribbeckiusque castigaverunt (adn. crit. ad versum 197).

non solum apud Ciceronem, sed etiam apud Porphyrionem est traditum, de nescioquo posteriorum temporum additamento cogitare vetamur versumque 197 sic scribere cogimur, ut a Ribbeckio est editus. De versu insequenti plura sunt dicenda. Etenim apud Ciceronem sunt tradita illa *surge et sepeli natum*, apud Horatii scholiastam diversa leguntur: *exsurge et sepeli me;* utrius verba sint praeferenda, non uno nomine refert scire. Equidem auctoribus tantopere inter se dissentientibus plus ponderis scholiastae tribuerim verbis, ea potissimum ratione ductus, quod Ciceronem ex memoria plerumque versus laudantem facilius haec omittere, illa autem perverse afferre potuisse probabilius est, quam grammaticos scholiastasque versus allatos e scriptorum exemplaribus morose exscribentes. Itaque in re dubia non vereor illa *exsurge* et *me* in textum recipere, missis illis Tullianis *surge* et *natum*; retineri praeterea vix queo, quin Bentleiano supplemento — illi *tuum* scilicet — ultimum vale dicam, quippe quod neque sensui neque metro sic sit necessarium, ut alii credidere; namque nulla in re a codicum discedens auctoritate sic textum scribi volo septenarium dimensus trochaicum, non invitum, sicut Ritscheliani fuerunt versus, sed eum, qui codicum sincera nitatur fide: *néque te mei miserét exsurge et sépeli me, priusquám ferae volucresque*[51] ...

Iam ultra progredi licet, ut de versu 200 pauca dicamus. Etenim illa *semiassi reis* (vel *regis*) Ciceronianorum codicum consensu tradita tam foede sunt depravata tantamque iniuriam temporum tulere, ut alios alia divinando coniecisse, non sit, quod mirere. Sic Bentleius ille *reliquias semiesas* (vel *sic meas) siris* scribi voluerat, sed cum Hauptius formam *sireis* restituisse sibi visus esset[52], Buecheler us illa *reliquias mias sic sireis* proposuit, Ribbeckius autem lectionem *reliquias, quaeso, mias sireis* in textum recepit neque a Vahleno *reliquias semustas sireis* scribi iubente[53]

[51] Voce *miseret*, cuius exiens syllaba longa est, neminem deterritum esse neque rem exemplis egere censeo. Quod vero Vahlenus illa *priusquam ferae volucresque* maiore intervallo a ceteris dirempta fuisse probare studuerat, mihi sicut Ribbeckio non satis persuasit.

[52] Ind. lect. aestiv. 1867 p. 8 = *Opuscula* II, Lipsiae 1876 p. 353.

[53] *Opusc. acad.* I p. 92 ss.

deterritus est, quominus in sententia perseveraret sua [54]. Et quamquam Vahlenus iterum opinionem comprobare studuerat suam [55], res sub iudice mansit neque Diehlium versum cruce notari, quam incertas coniecturas in textum recipi maluisse mirum est [56]. Fuere, qui illud *reliquias semesas sireis* legere vellent, velut Pohlenz, *Tusculanarum disputationum* editor, qui collato Apulei quodam loco [57] se nota marginali in Vaticano codice (3246 V^2) obvia vocem *semensas* exhibente, magnopere adiuvari censeret [58]. Equidem in versus 200 corrupta lectione aliam prorsus vocem latere reor, et quidem vocem *semissariis*, quae in litterarum Romanarum monumentis ad nostram memoriam servatis ἅπαξ εἰρημένον est, nam nusquam legitur nisi semel in *Digestis* apud Florentinum [59] saeculo post Christum natum secundo, ut videtur, viventem [60]. Si quis tamen secum reputaverit, quantopere iurisperitorum libri antiquam linguam Romanam sapiant vetustatisque colorem prae se ferant, me nimiae levitatis vix arguet. Ceterum inter corruptas Tullianorum codicum litteras — quas omni sensu carere quid opus est admonere? — et inter hanc vocem tanta intercedit necessitudo

[54] Quod Ribbeckius scripserat, ut Vahlenianam coniecturam nihili esse faciendam doceret: *sed neque Polymestor Polydori corpus semustum abiecit nec Ilionam fraterni corporis tam incuriosam fore cogitari poterat, ut rogo quidem mandaret, sed nondum concrematum abriperet et feris dilacerandum relinqueret* (*Trag. Rom. Fragm.* p. 115), mihi satis persuasit.

[55] *De versibus nonnullis Pacuvii tragici*, Ind. lect. hib. Berol. 1903/4 p. 11 ss = *Opusc. Acad.* II p. 490 ss.

[56] l. l. p. 53.

[57] Apul. *Met.* VIII 15 *iacere semesa hominum corpora suisque visceribus nudatis ossibus cuncta candere.* Esse, quo Apulei locus et Pacuvii fragmentum inter sese differrent, iam Vahlenus monuit dicens: *nisi quod haec non ad combusta corpora, sed ad insepulta iacentia referenda sunt* (*Opusc. acad.* II p. 496 adn. 1).

[58] M. Tulli Ciceronis *scripta quae manserunt omnia*, fasc. 44 *Tusc. disp.*, Lipsiae 1918, adn. ad locum.

[59] *Itaque si fundus legatus sit ei qui ex parte dimidia heres institutus est et duobus extraneis, ad heredem cui legatus est sexta pars fundi pertinet, quia a se vindicare non potest, a coherede vero semissario duobus extraneis concurrentibus non amplius tertia parte* (XXX 1, 116 § 1).

[60] Conf. Brassloff, RE VI s. v. *Florentinus* Nr. 4, coll 2755 ss.

(utroque enim loco eaedem totidemque fere sunt litterae simileque sonant: *semiassi reis* — *semissariis*), ut vix censeam ambigendum, quin archetypi librarius eam vocem sibi ignotam adeptus in tantum inciderit errorem locumque foede depravaverit. Sed quaeret quispiam, quid de vi huiusce vocis sit iudicandum: quae cum idem atque *dimidius* vel *dimidiatus* valere videatur, audaciae fortasse non arguar, si Pacuviani versus verba per paraphrasin in modum perscripsero hunc: *reliquias fractis et denudatis ossibus.* Metro vox *semissariis* optime satisfacit, nam cum exeuntes syllabae in unam coëant vel contrahantur, vox dispondei adaequat mensuram[61]; quo fit, ut optimum nanciscamur septenarium trochaicum, quem iambicus octonarius sequatur:

neu reliquias semissariis, denudatis ossibus
per terram sanie delibutas foede divexarier.

Si quis huiusce enuntiati praedicatum desiderari miretur, Ciceronem in his rebus nimis accuratum non fuisse meminerit: Arpinas, veterum poëtarum studiosissimus, aliena suis immiscere solet, quaedam omittere et erepta e fabularum textu verba vel impugnare vel summis efferre laudibus, tamquam ipse cum fabularum dissereret personis. Sic supra modico intervallo leguntur apud Ciceronem Pacuvii verba *priusquam ferae volucresque,* quod enuntiatum praedicato carere luce clarius est. Item in libro, qui *Orator* inscribitur (46, 155), tres versus e *Chryse* Pacuviana repetitos Cicero attulit (frg. IV = v. 80 ss.), quorum qui memoretur, imprimis versus: *postquam prodigium horriferum, portentum pavos* dignus est, nam pari modo enuntiati temporalis praedicatum omissum est. Idem iudicium ferendum est de versibus 200—201, quos tractamus, quorum praedicatum in subsequenti versu stetisse et ab Arpinate esse omissum apparet.

---

[61] Cum sint, qui secundae declinationis casus in *-iis* desinentes apud antiquos poëtas Romanos in *-is* contrahi posse negent, operae pretium est exempla afferre, quibus legitimam esse hanc rem neque a veterum poëtarum usu alienam evincatur:

Turpil. v. 162 R³ *detegere despoliare opplereque adeo fama ac flagitis.*

Ennius *Ann.* 165 V² — *nonis Iunis soli luna obstitit et nox* (conf. Lachmannum ad Lucr. V 85, Lindsayum *Early Latin Verse* p. 155).

Itaque totum fragmentum constituendum est hoc modo:

Matér, te appello, tú, quae curam sómno suspensám levas
Néque te mei miserét exsurge et sépeli me, priusquám ferae
Volucresque.....
Neú reliquias sémissariis, dénudatis óssibus
Per térram sanie délibutas foéde divexárier...

Sunt igitur septenarii trochaici, quos Cicero aperte nominavit, mixti octonariis iambicis totaque scaena scripta fuisse videtur septenariis trochaicis, quibus Pacuvius hic illic iambicos octonarios tamquam mellis guttas infudit. Quoniam autem nulla tragoedia liberae rei publicae aetate scripta integra nobis praesto est, fieri non potest, ut rem exemplis e tragoedia petitis comprobemus, sed satis sit Plauti quasdam scaenas in memoriam revocasse, praesertim cum utrumque genus — de tragoedia comoediaque loquor — artissime inter sese in re metrica cohaerere vix quisquam eat infitias. Apud Plautum sescenta esse eiusmodi exempla scito: sic in *Mercatore* I 2, posterior scaenae pars inde a versu 137 ex octoginta septem constat versibus, e quibus octoginta tres sunt trochaici septenarii, quibus quattuor iambici octonarii sunt praemissi; sic in *Menaechmis* post versum 122 occurrunt quinque trochaici septenarii (vv 123—127), qui duobus iambicis octonariis excipiuntur (vv 128—129); interiecto uno trochaico septenario (v. 130) insequuntur duo iambici octonarii (vv 132—133) cum pedisequo iambico septenario (v. 133), qui excipiuntur ingenti nube septenariorum trochaicorum — ni fallor, quadraginta quinque sunt versus. Atque haec quidem exempla attulisse satis est. Si quis quaesivisset, quodnam metrum supra memoratae Plauti scaenae exhiberent, credo equidem nos cas septenariis trochaicis esse compositas iure fuisse responsuros „a potiori denominatione", quae dicitur, usos: cum enim septenarii trochaici tantopere praevaleant, quam vim habent tres vel quattuor iambici octonarii hic illic immixti? Ut tandem ad Pacuvianum revertamur fragmentum, a quo indagando sumus profecti, totam scaenam, e qua id est depromptum, eadem fere fuisse metrica compositione atque supra memoratas Plauti scaenas dico ideoque esse factum, ut Cicero cum aliquot inde petitos laudaret versus, Polydorum — vel si mavis Deiphilum —

tam bonos septenarios ad tibiam fundere „a potiori denominatione" usus diceret.

6. Pacuv. *Med.* frg. XVIII (= v. 237).

Fragmentum traditum est a Festo, qui p. 394, 13 Linds. de voce *super* agens haec scribit: *verum ponitur etiam pro de, Graeca consuetudine, ut illi dicunt* ὑπέρ .... *Pacuvius in Medo: 'Qua super re interfectum esse Hippotem dixisti?'* Quae sunt servata Pacuvii verba, e sensu minime laborant; verum enimvero si quaeritur, quid de metro sit iudicandum, graviores oriuntur difficultates. Haec fuit causa Ribbeckio, cur cum septenarium trochaicum effingere vellet, alia addere, alia autem aliter atque essent tradita scribere cogeretur fragmentumque hoc modo edolaret:

Qua super red interfectum < tu >esse dixisti Hippotem?

Quem textum vix cuiquam probatum iri censeo, qui fragmento septem e vocibus constante tres coniecturas inesse secum reputaverit; etenim pro tradito *re* Ribbeckius illud *red* scripsit, vocem *tu* sensui minime necessariam supplevit, verborum *Hippotem dixisti* ordinem permutavit, quo fit, ut textui tantopere a tradita lectione dissentienti parum confidamus[62] aliamque viam esse ingrediendam censeamus, ne metrum laboret. Equidem dum multa mecum cogito temptoque, si quid hac in re possim proficere, in hanc veni opinionem: quoniam fragmentum ad Verrii redit penus, quem plerumque ita rem egisse Vahleno praeeunte monuimus, ut quoad posset fieri, integrum afferretur metrum[63], non duorum versuum esse reliquias aio, sed integrum versum. Cum autem servatis in Festi codice verbis nullus efficiatur versus, ad coniecturam est decurrendum simulque cavendum, ne ista

---

[62] Adde, quod illius *res* ablativus casus in *d* exiens nusquam in auctorum libris manu exaratis invenitur; quocumque autem Plautinarum fabularum loco illud *red* legitur, non codicum auctoritate nititur, sed virorum doctorum debetur coniecturis; quam ob rem vix quemquam fore credo, qui Lindsay'um illi *red* iure diffidentem nimiae cautionis velit arguere; verbo admoneo virum doctissimum, qui antea illud *red* apud scaenicos legitimum esse iudicaverat (*Ablativ red bei Plautus*, Arch. f. lat. Lex. 10 [1898] p. 550), postea sententiam mutavisse (*Early Lat. Verse* pp 120 et 157).

abutamur venia, quae Ribbeckii fuit consuetudo. Atque illud quidem te velim scire nos vocum *dixisti* et *Hippotem* ordine permutato metro plane esse satisfacturos:

Qua super re interfectum || *esse dixisti Hippotem?*

Est enim dimeter creticus cum pedisequo dimetro trochaico catalectico, qui versus non solum apud comicos — Plautum inprimis dico — sed etiam apud tragicos obvii esse solent. Plauti sescenta possum afferre exempla [64], sed sat sit versum e *Rudente* Plautina sumptum attulisse (v. 677):

cesso ego has consolari. || *heus Palaestra :: qui vocat?,*

qui Pacuviano fragmento simillimus est et quasi eius gemelli fratris vice videtur fungi: utroque enim loco inter creticos trochaeosque synaloepham fieri, utroque loco in alterius cretici locum molossum successisse quem fugit? Eundem versum a tragicis quoque Romanis admitti consuevisse monui: etenim *Thyestis* Ennianae versum 295 servata codicum scriptura eodem modo esse dimetiendum:

sed me Apollo ipse delectat, ductat, Delphicus,

nec aliter esse sentiendum de eiusdem fabulae versu 308:

quam mihi maxime hic hodie contigerit malum,

Vahlenus docuit [65]. Quae cum ita sint, nihil causae esse reor, quod de Pacuviani versus textu supra restituto — lenissima coniectura adhibita — dubitetur [66].

Wratislaviae

[63] Supra adn. 23.

[64] Conf. Leo, *Die Plaut. Cant.* p. 18; Lindsay, *Early Lat. Verse* p. 295.

[65] *De emendandis Ennii tragoediis*, Ind. lect. hib. Berol. p. 8 adn. = *Opusc. acad.* I p. 408 adn.

[66] Eundem versum esse agnoscendum in *Lycurgi* Naevianae frg. VI (= v. 24 ss) suspicor, quem Ribbeckius in duas dissecuit partes et edidit hoc modo:

ducite
eo cum argutis linguis mutas quadrupedis.

At quid, quaeso, prohibet, quominus integrum esse metrum censeamus, dimetrum scilicet creticum sequente dimetro trochaico acatalecto:

ducite eo cum argutis || *linguis mutas quadrupedis.*

Ac ne quis illud *eo* — seu synizesin seu pyrrhichiacam mensuram brevi breviante effectam mavis — creticis parum convenire clamet, est mihi in animo duos Plauti versus eadem fere exhibentes afferre:

Capt. 237 s.: *quod tibi suadeam, suadeam meo patri*
pol ego si te audeam, meum patrem nominem.

DE PHRYNES PECTORE NUDATO

Scripsit

† GEORGIUS KOWALSKI

1.

Phrynes pectoris ab Hyperide nudati aspectu in miserationem reae adductos iudices eam absolvisse credit etiam cum reliquis encyclopaedicae doctrinae (ex. c. Brockhaus ed. noviss., Christ-Schmid I 612, Lamer, *Wörterbuch der Antike* 311) lexicis RE XX coll 893—907 A. Raubitschek. Possem insigniores eius erroris reos facere, sed his quidem temporibus fatalem duco sententiam vulgatam et falsa persuasione τῶν πολλῶν validam.

Hyperides pectus Phrynes aut eam totam nudavisse, ut miserationem apud iudices efficeret, fertur. Pectorum nudationes late extra iudicia, sed eodem consilio miserationis efficiendae apud antiquos patebant [1]. Clytaemestra (Aesch. *Cho.* 896) hoc fecit, saepius matronae effetae aut filios hac recordatione commovebant, ut ipsis parcerent, aut in obsidionibus propugnatores ad virtutem adhortabantur. *Il.* 22, 82—84 Hecuba discedentem Hectorem salutat: Ἕκτορ, τέκνον ἐμόν, τάδε τ' αἴδεο καὶ μ' ἐλέησον αὐτήν, εἴ ποτέ τοι λαθικήδεα μαζὸν ἐπέσχον· τῶν μνῆσαι, φίλε τέκνον, ἄμυνε δὲ δήϊον ἄνδρα. Menelaus Helenae trucidandae mamilla conspecta gladium excussisse et osculum accepisse dicitur (Eur. *Androm.* 629, cf. Ar. *Lys.* 155—6). Caes. *b. G.* 7, 47 *matres familiae de muro vestem argentumque iactabant et pectore prominentes passis manibus Romanos obtestabantur ut sibi parcerent...;* etiam in obsidione Gergoviae, cf. adnotationem D'Arbois'ii de Jubainville, *La civilisation des Celtes* p. 321; e litteris Hiberniis vir doctus commemorat *l'usage pour les femmes de se découvrir la poitrine quand elles demandent grâce.* Tac. *Germ.* 8 *memoriae proditur quasdam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas constantia precum et obiectu pectorum et monstrata cominus captivitate.* Much, Heidelbergae 1937 p. 114 addidit in commentario testimonia de pecto-

[1] Heckenbach, *De nuditate sacra sacrisque vinculis*, Religionsgesch. Vers. u. Vorarb. IX 3, Giessae 1911 p. 32.

ribus nudatis. R. G e y e r, Mitteil. d. Wiener Anthrop. Ges. 39, 156 ss loci paralleli ex Arabica memoria afferuntur.

Tum imagines pictas rei a sicario, ut videtur, fere perempti legimus esse in epilogis propositas apud Romanos (Quint. *i. o.* VI 1, 32) tamquam illa ἐκκυκλήματα ad quae luctus scaenicus perageretur. Certe actiones capitales satis ad tragoedias accedebant immo eas ea re superabant quod qui in iudiciis rei luctum agebant, plus permovebantur quam meri histriones.

Sed mulier florens aetatula, quid dico mulier: meretrix venustissima? Quo modo sit nudata in conventu tristissimo, in quo impietatis (Meier-Schömann-Lipsius, *D. att. Recht u. Rechtsverfahren* 1905 I p. 339 adn.) postulabatur, cui crimini capitis poena erat? Cicatrices [2], non speciosae mamillae exhibebantur in perorationibus. Sed enim hoc vindicaverit ingeniosior quis patrono eleganti, siquidem talis gestus nudandi utique exstitisset in iudiciis. Eo abuti hominem Graecum et Praxitelis in Phrynes cubiculo contubernalem illamque potuisse inducere, sane formosam mulierculam, ἐπί τινος ἐλεεινοῦ σχήματος, ut Anonymi *Rh. Gr.* 7, 335—6 Walz verbis utar. Pectus nudatum esse credam illud schema, i. e. artificiosam gestus in iudiciis usu venientis conformationem eam, ut nudatio meretricis, ludo mimico conveniens, perficeretur in iudicio? Fac potuisse splendidi corporis nudatione impelli [3] iudices ne foedae caedi devoverent antistitam Veneris [4]. Athenaeus, qui plures ineptias e vilissimis de venalibus puellis fontibus contaminavit, videtur non mere nudam, sed quibusdam Veneris insignibus ornatam Phrynen, quod mimae fuit, imaginari. Sed mimam

[2] Cic. *in Verr.* V 1, 3. Cum constet tunicam M' Aquilii ab eius pectore a M. Antonio abscissam esse, ut cicatrices populus Romanus iudicesque aspicerent, ne idem faciat Verres reus neve denudetur a pectore, ne cicatrices populus Romanus aspiciat, metuendum esse Cicero fingit. Cicatrices ostentavisse senem quendam in foro ut malorum suorum insignibus miserationem excitaret, narravit Livius II 23, 3—4.

[3] Nudas occisae Penthesileae mamillas victoriam de Achille reportavisse Nonnus demum inventus est qui contenderet, *Dionys.* 35, 43 μαζοὶ ἀριστεύουσιν. Nudae formae aspectu vinci posse hostem opinatur Liban. *Ethop.* 12. 8. 403 Foerst.

[4] Non Phrynen sed Venerem videre visum esse Atheniensibus neque amore sed metu esse percussos.

quonam modo? Apud archontem regem? Ideo finxit blandulus grammaticus ab ipso Hyperide latam esse abhinc legem ne miseratio concederetur in illo iudicio, semel tale quid temptatum si excusaverit, magis se persuasurum ratus. Hamum voravit pisciculus. Lipsio Raubitschek obloquitur legem talem aspernato (Meier-Schömann-Lipsius, l. l. 920 adn. 76).

Mutum malles. At garrit: de nudatione in Eleusiniis [5] et Posidoniis et Aphrodisiis facta accusatam fuisse Phrynen quod publice lavisset in festo coetu femina; etiam alium diem festum a feminis celebrari Athenis solitum commemorari in fragmento orationis Hyperidis [6]. Hic interrogo, num orator probaturus fuerit corpus adeo formosum licere publice nudari? Idem ille Germanus ex Athenaei collectaneis antiquas de pudica meretrice ineptias refert. Si Hyperidis orationi tribuendae sunt, quid mirum publicae ita corpus vestimentis contegere libuisse, ut forma eius ne divinari quidem posset? Ad eandem industriam spectant quae de balnearum odio meretricio traduntur. Munditiarum haec sunt an mercis gratis non offerendae studio explicantur? An vero elegantiora sunt quae ab Hyperide de priscae sanctimoniae prostibulo narrantur? Tum nequiquam exspectes ea olfacere posse Germanum. Meretricio enim coetu circumdatum vitam egisse Hyperidem, ex aetate, quam Demosthenes deploret, efficitur et crebra eius patroni mentione apud Athenaeum.

Hominis an muli dicam Athenaei (p. 590) aetatulae exornationem tamquam ex Idomenei notitiis desumptam pro testimonio acciere et locos afferre a se ne inspectos quidem. Quorum excutiam unum. Anonymus 7 Walz praeter ea quae 338, 27—30 e Syriano (4, 414, 3—6 W.) hausit, 7, 335, 3—8 W. alia habet quae videntur esse sana; refert enim Anonymus ab Hyperide periclitante in oratione inductam esse meretricem compositam in figura miserabili, pectus nudum tunica dilaniata percutientem; qui locus ea in re ab altero differt

---

[5] Kern, *D. gr. Mysterien d. class. Zeit*, 1927 p. 58. 71, Kerényi, *D. göttl. Mädchen* 1941 pp 76—77 advocato etiam Gruppeio de mimo sacro cogitant.

[6] In editione Kenyonea requiruntur fragmenta e Nilo iam a Schilingio collecta. Quibus novum addidit ex eadem oratione contra Eutychium habita Lesnikowska; quod fragmentum in *Actis* mei Seminarii Philologici, ad vitam post bellum revocandis, prodibit.

quod ipsa rea vestem laceravisse dicitur (etiam Sext. Emp. *adv. rhet.* 4. Quint. *i. o.* II 15, 9. Alciphr. 4, 4). Miror Radermachero (Philol. Wochenschr. 1907 col. 303) posteriorem visam esse de Phryne ipsa vestem dilaniante notitiam. Tale quid credi possit si Quintiliani fontem ex Idomeneo processisse quis acceperit. Sed pugna philosophorum contra oratores communior fuit quam ut soli Epicuri amico talia reserventur. Tum quae apud Athenaeum leguntur, certissime amplius exornata sunt. Vix ea quae de lege ab Hyperide lata ibi leguntur. ad Idomeneum ipsum referri possent, nisi inepta essent. Vestem laceravisse dicitur Phryne in actione quae apud Graecos κόμμος vocatur, quod est feminae lugentis, i. e. eius quae ad supplicium abducitur. Schema Phrynes repetitur cotidie in confessionali, ubi in statu deprecationis culpa planctu luitur. Quod putari potest fuisse imaginatum Hyperidem in ὑποτυπώσει quae miserationis est in epilogis peragi solitae. Nempe meretricem excitavisse in figura Andromaches (Eur. *Andr.* 302) aut puta ad instar Antigones (Soph. *Ant.* 891—928. 937—43), quae ad sepulcrum agitur, produxisse videtur. Ut etiam Veneris sive alterius deae e mari prodeuntis eam partes egisse credi potest.

Unde sua sumpserit Anonymus τέχνη τῶν πολιτικῶν λόγων p. 37 (455 Sp.), ignoro: ἐπέδειξα τοίνυν ὑμῖν ἀσεβῆ Φρύνην, 1) κωμάσασαν ἀναιδῶς, 2) καινοῦ θεοῦ εἰσηγήτριαν, 3) θιάσους ἀνδρῶν ἐκθέσμους καὶ γυναικῶν συναγαγοῦσαν. Sed impiae commissationes et coetus nefasti in iudicia vocabantur. Commissatam esse Phrynen in Lycio auctor est ipse eius accusator. De Laide commissata in urbe Persepoli rerum gestarum scriptores consentiunt. Solummodo de impietatis crimine meretrici impacto audivisse videtur rhetor, reliqua narravit. Potuit etiam Socratis accusatio in quibusdam praeluxisse: καινοῦ θεοῦ εἰσηγήτριαν[1]. Sacer quidem minus (cf. adn. 3) probabilius tentari potuerit ab amica Praxitelis in formam deae sculpi ab eo assueta. Quod Phryne absoluta est in causa impietatis, ubi raro clementia adhibebatur, mihi quidem signo est in

[1] Cf. frg. 177. De simili crimine cf. Lobeck, *Aglaophamus* p. 665. De amica Glycera cum philosophis iuvenes corrumpente cf. Ath. 13, 46 (583). A Phryne civitati illatas esse μείζους βλάβας auctor est Posidipp. ap. Ath. 13, 60 (591) i. e. quam ab amica fit, non igitur damnum pecuniae, sed perniciem mentium.

lavationibus publicis a Phryne certis diebus festis non multum offendisse plebeculam[8]. Deae lavantes a mortalibus certe feminis, quamquam vix a virginibus aut matronis, expressae producebantur in imaginibus et signis. Quid tritius apud populum inter tales imagines vitas degentem in urbe signis referta? Zeuxis traditur Helenam suam e virginum oppiduli nobilissimarum corporibus collegisse. Mimam fuisse nobilem meretricem haud contenderim, sed idoneam fuisse quae figurae partes scitule ac venuste perageret ita ut negotium ante oculos geri videretur. Quid autem aliud est personam in fabula scaenica sustinere, nisi id curare ut res ficta tamquam evidens et vere existens oculis spectantium subiciatur?

Probitate vetustior notitia a recentioribus differt. Sed earum exaggeratione non probatur simplicioris notitiae veritas. Nam fabula de rhetore eleganti probabilior esse videtur ea aetate, qua Suadela maxime vapulabat post interitum Graeciae, qui oratoribus publicis tribuebatur. Eius fabulae hoc apparet fuisse consilium, nihil valuisse orationem, ipsum corpus delicti suffecisse. Quod consilium vituperat Alciphr. 4, 4: μηδὲ τοῖς λέγουσί σοι ὅτι, εἰ μὴ τὸν χιτωνίσκον περιρρηξαμένη τὰ μαστάρια τοῖς δικασταῖς ἐπέδειξας, οὐδὲν ⟨ἂν⟩ ὁ ῥήτωρ ὠφέλει, πείθου. Fortasse numquam Phryne sic egit, ut solum agere potuit. Posidippus enim comicus aequalis nihil horum novisse videtur; simpliciter tradit Phrynen lacrimis perfusam unumquemque iudicum prehensantem (δεξιουμένη; προκυλινδουμένη exaggeratius Sext. Emp.) vix vitam servavisse. Pectus nudatum si fuisset, quot iocos obscenos putas inde tracturum fuisse comicum? Itaque Kockii et Raubitschekii de textus integritate dubitationes solo vulgatae fabulae tuendae studio explicantur.

Notitia apud Anonymum 7, 335, 38 conservata hoc habet quod sola inter omnes reliquas consuetudini forensi non adversatur. Sed recordatus eorum quae Polybius Timaeo obicit quod in speciem spectaculi scaenici res gestas exornaverit, etiam hanc notitiam circa illam aetatem, i. e. non multo post Hyperidis mortem esse fictam suspicor. Ingenio-

[8] Semenow, *Hypereides u. Phryne*, Klio 1935 p. 275 Phrynen putat accusatam propter templa frequentata tamquam templa Graeca non e plateis adirentur, ubi quilibet adsistere posset.

sum fuisse Hyperidem ex eius fragmentis non aperitur; e contrario auctor *de subl.* 34, 3 ἐπίχαρις. Gracilitas eius gratiosa visa est demum aetate nascentis Atticismi. Pectus mulieris de illicita nudatione accusatae etiam in iudicio nudatum eaque ipsa re, propter quam peritura erat, servatae Achillis hastam, quae vulnus quod fecerat sanavisse tradebatur, in memoriam revocat. Ut pleraque grammaticorum figmenta etiam hoc ingeniosius est quam ut verum esse possit. Schema dico dianoeas, non corporis figuram. Itaque RE voluminum de antiquis meretricibus consulendorum vix auctor fuerim. Potius ita res a doctissimis editoribus comparata est ut vocabulorum, non rerum prudentes quivis ei operae collecticiae adsciscerétur qui novissimum quaestionis de singulis Graeciae et Romae meretricibus „statum" e dissertationibus iuvenum Germanorum delibatum referret. Tamen nasus obtusus etiam humiliora indaganti officit. Locorum acervatim congerendorum philologia RE molem enixa est; quam si quis aggreditur consulendi causa, mergitur illuvie. Quod identidem expertus essem, nisi iudicio usus evasissem laetus me pauciora didicisse.

2.

Vitia difficilius expenduntur si cum virtutibus sint coniuncta. Multa desunt ad Phrynes imaginem explendam, in paucis solum consilium detego. Κῶμος sacrilegus ad Apollinis Lycei lucum ductus comparari quadamtenus potest cum Laïdis Persepoli commissatione i. e. cum nocturna vinolentorum adolescentium ad loca sancta pompa derisionis plena. Deorum derisores fuisse nobiles iuvenes iam inde ab aetate Homerica constat: Irus ab Iri, quia inter humanos Ioves decurrebat. Propter Alcibiadis circa sanctissima mysteria levitatem perturbata est belli gravissimo momento respublica Atheniensium. Ubi persuasio vulgaris publica auctoritate protegitur, ibi ingeniosi et beatiores in modum latomorum in eam cavillantur. Liberius cogitantibus: artificibus, litteratis, neglegentioribus meretrices libentius sese adplicant quam patribus familias, quod quidem accidit in comoediis, minus autem in vita cotidiana. Tales amicae rarae doctaeque poemata lectitant scriptitantque. Musas illas

incomptas et rusticas redigunt in species minus quidem divinas at certe lepidiores et venustiores. Immo sublimiores quaedam se praebere maluerunt: Diotimae, Egeriae. Minores sagae cognoscuntur e comoediis et e Longo. Quarum omnium prolem Iuvenalis livore perstrinxit. Nimis Dorico an Thracico stylo delineata est a Germanis mulierculae antiquae indoles. Saltatrix basilissa multo modestiorum opus coronavit. Severior doctrina nostra Sapphonem a coetu puellarum, quae Venerem adorabant, seiunxit. Sed libri de puellis amicis scripti si essent, vitam antiquam ingeniosius illustravissent, quam qui nunc de antiquitatibus concoquuntur. Pulsae namque sunt e dominio eruditorum meretriculae et exempla virtutum procreata sunt ex antiquitate ea de qua magistri cogitaverunt. Unde evasit monstrum eruditionis. Scripti sunt commentarii doctissimi in Neaeram, Lesbiam, orationem pro Caelio, Petronium, Martialem, Lucium. Excussae sunt cum pulvisculo iuvenum libidines a senibus, cogniti sunt motus amatorii. Depugnatum est inter senes de modis coeundi. Mentulis plus tributum quam mentibus.

Thespias visitatas esse ab artis cognitoribus dicit Cicero. Phrynes cunabula Praxiteles exornavit, moenia patriae ipsa redintegrare conata est frustra. Renuerunt cives, minus mirati, cur oppidulum neminem meretrice illustratiorem edidisset. Etiam illud ipsum mirum videtur, cur meretrix nominanda fuerit in moenibus. Cur ipsa id postulavit; e fragmentis enim comicis minime byronica evadit. Ecclesia quidem Romana plurimas aedes defututis quidem sed poenitentibus feminis debet. Dea facta est Phryne ab Apelle et Praxitele, non arroganter sed necessario: forma divina enim e vivo corpore excipienda erat. Nolim credas talem Venerem necesse habuisse prostare nautis aut professoribus, omnium pauperrimis. Scilicet aes fabulosum poscebat, ne cuilibet prostaret, quod semel se fecisse libidine coactam fassa est humaniter. Hoc est pudicae, nisi pudica ea est, quae a solo marito stipem meret. Tribus magnae indolis artificibus nota fuit: certe ingenium opibus praetulit. Accusata est laesae religionis ab amante pio, ut videtur, nec solvere parato. Honestior igitur erat Phryne quamquam non ita ut pium etiam honestum redderet. Apollini cum pluribus amicis comissabunda obtulit Musarum consortium. De tabula vel lapide ali-

quoties descendit: scilicet mima. Mima facta est a summis suae aetatulae artificibus: modestior scilicet fuit, quam eae quae deas imitabantur post mensam sublatam.

Fac fuisse Phrynen lepidissimum scortum. De scortis antiquis idem dici potest quod etiam de mendicis: ingeniosiora ac nobiliora fuerunt illa artificia, quam nunc sunt.

Mendici fuerunt parasiti medici sacerdotes, scorta fuerunt artium gnara, atque etiam cultuum divinorum. Si Venus dea fuit, cultus venerius etiam a philologo respiciendus est. Qui cultus non ad matrimonium spectat sed ad vim veneriam divinitus tractam exercendam. Praeter mysteria publica perplura alia agebantur a feminis nullo vinculo privato obstrictis. Κοιναί tales appellabantur, quia nuptae domiciliis continebantur. Num κοιναί tantum per libidinosa communia fiebant? At libido et ἱεροὶ γάμοι colebantur in caelestibus. Quis Modrzejewsciae amores explicabit? Quis venerandissimae Solsciae? Sed non illicitorum amorum accusata est, verum sacrae nudationis, vulgo non probatae. Doluit civem publice nudam fuisse Phrynen decentius quam sibi. Morem patrium soli cubiculo permisit, in divinis novari quidquam vetuit. Venerem noluit eam esse quacum rem haberet homo pius. Pietatem hominis probo. Phrynen mallem soli deo latus praebuisse. Piam Phrynen vel publice fuisse laudo, foribus occlusis hominum desideria humaniter explevisse patior. Accusatorem eiusdem farinae fuisse reor atque Meletum: civem Atheniensium ex eis qui urbem incolebant, iudicia frequentabant, comoedias de se scribi vetuerunt, artem forensem nutriverunt fraudibus, scholae Raphaelicae non adnumerandi nec illis Athenis quae aeternae sunt.

Phrynen ipsam pectus nudavisse vetustissimus est auctor Quint. *i. o.* II 15. 9: *verum et pecunia persuadet et gratia et auctoritas dicentis et dignitas, postremo aspectus etiam sine voce, quo vel recordatio meritorum cuiusque vel facies aliqua miserabilis vel formae pulchritudo sententiam dictat. Nam et Manium Agricolam defendens Antonius cum scissa veste cicatrices quas is pro patria pectore adverso susceperisset, ostendit, non orationis habuit fiduciam, sed oculis populi Romani vim attulit: quem illo ipso aspectu maxime notum in hoc, ut absolveret reum creditum est. Servium quidem Galbam miseratione sola, qua non suos modo liberos*

parvulos in contione produxerat, sed Galli etiam Sulpici filium suis ipse manibus circumtulerit, elapsum esse cum aliorum monumentis, tum Catonis oratione testatum est. et Phrynen non Hyperidis actione quamquam admirabili, sed conspectu corporis, quod illa speciosissimum alioqui diducta nudaverit tunica, putant periculo liberatam... quae sequuntur. ad definitionem rhetorices pertinent. Neque a Quintiliano excogitata sunt, quia 1) similia apud Graecos exstant; 2) ex persona adversarii artis oratione persuadendi proferuntur: cf. Philod. *vol. rhetor.* p. 20, col. II 47:

[ὡς] καὶ Φρύνη καὶ [δι'] ὥρα[ς
κ]αὶ μουσικῆ[ς] πε[ί]θει [μ]έν,
οὐ ῥητορι]κῶς δὲ [ποιε]ῖ-
ται κα]τασκευάς.

Sext. Emp. *adv. rhet.* 4 Φρύνη τε, ὡς φασίν, ἐπεὶ συνηγοροῦντος αὐτῇ Ὑπερίδου ἔμελλε καταδικάζεσθαι, καταρρηξαμένη τοὺς χιτωνίσκους καὶ γυμνοῖς στήθεσι προκυλινδουμένη τῶν δικαστῶν πλεῖον ἴσχυσε διὰ τὸ κάλλος τοὺς δικαστὰς πεῖσαι τῆς τοῦ συνηγοροῦντος ῥητορείας. Alciphr. 4, 4 μηδὲ τοῖς λέγουσί σοι ὅτι, εἰ μὴ τὸν χιτωνίσκον περιρρηξαμένη τὰ μαστάρια τοῖς δικασταῖς ἐπέδειξας, οὐδὲν ⟨ἂν⟩ ὁ ῥήτωρ ὠφέλει, πείθου.

Sed Epicurus et sceptici etiam grammaticos et mathematicos oppugnaverunt nulli culpae civili obnoxios. Quapropter Epicurum aut Idomeneum ob detrimentum libertati Athenarum ab oratoribus illatum iratos hoc exemplum minuendae eorum potentiae causa attulisse vix crediderim. Epicurus et sceptici. quantum ex eorum scriptis perspicimus, utebantur in adversarios argumentis ex eorum armamentario petitis. Ab ipsis autem artium rhetoricarum scriptoribus ὑποτυπώσεως vel διατυπώσεως figura (cf. Anon. 7 W. ἐπί τινος ἐλεεινοῦ σχήματος) in peroratione utilis commendabatur qua miseratio moveretur aut eiceretur; cf. Arist. *rh.* 2, 8 ἀνάγκη τοὺς συναπεργαζομένους σχήμασι καὶ φωναῖς καὶ ἐσθῆτι καὶ ὅλως τῇ ὑποκρίσει ἐλεεινοτέρους εἶναι· ἐγγὺς γὰρ ποιοῦσι φαίνεσθαι τὸ κακὸν πρὸ ὀμμάτων ποιοῦντες..., Apsin. 393, 26-28 Sp. ὅταν τῶν ἀπὸ τοῦ σώματος παθῶν κινήσωμεν τὸν ἔλεον, πηρώσεως ἢ δεσμῶν ἢ ἀπὸ τραύματος..., 398, 10-13 Sp. κινεῖ δὲ ἔλεον ἐν τοῖς μάλιστα καὶ ἡ ἐνάργεια ἡ τῶν ἀτυχούντων καὶ ἠθοποιΐα καὶ χαρακτηρισμὸς ὁ περὶ αὐτῶν γινόμενος, 402, 31-32 Sp. κινήσομεν δὲ ἔλεον κἂν ὑποδεικνύωμεν πάθος τὸ συμβεβηκὸς περί τινας τῶν οἰκείων τοῦ κρινομένου.

Quo modo probationes dividebantur in inartificiales et artificiosas, eodem modo etiam ἕλεοι. Inartificialis miseratio conficiebatur inprimis parentum filiorumque ante iudices productione: cuius rei plura exempla in epilogis oratorum Atticorum exquiri possunt. Altera[10] figura miserationis ab Hyperide adhibita est, sc. abductionis ad supplicium, quod artificium in tragoedia est excultum. Mima usus est Hyperides ad hanc ὑπόκρισιν.

Itaque Epicurus hanc inartificialem, in iudiciis solitam miserationem arripuit contra probationem rhetoricam, ut vulgatissimum genus defensionis; vulgatissima quaeque enim in doctrina Epicurea maxime valebant. Simul probaturus erat ad sensus, non ad cogitationes appellari in iudiciis. Probabile est sola inartificialia eum agnovisse. Exemplo Phrynes ut mulierculae vulgatae facile Epicureorum vetustior quis uti potuit.

In hac igitur vetustiore memoria Phryne ipsa diducta (aut dilaniata) tunica pectus (totum corpus apud Quint.) nudavisse fertur. Pulchritudine Phrynes victos esse iudices consentaneum hic est, quamquam in iudiciis miseratio appetebatur, non admiratio, neque tale quid apud comicum aequalem memoratur qui etiam nudationem pectoris ut in iudiciis solitissimam praetermisit. Color derisionis in hac memoria manifesto deprehendi potest etiam apud Sextum Empiricum qui δεξιουμένη Posidippi reddidit auctius προκυλινδουμένη. Admirationem pulchritudinis vituperatam esse ab Epicuro constat. Tum respicias iudicia popularia ab Epicuri aetate iam aliena fuisse.

Etiam hoc igitur hic vitiosum est. Praeter memoriam philosophicam i. e. minime aequam exstat apud Nilum (An. 7. 335, 3 ss W.) altera, plenior et veracior, quam reor esse rhetoricam. Nihil hac altera memoria contineri ex ineptiis Athenaei explicaverim indole fontis non grammatici, sed rhetorici, i. e. ad regulam artis adstricti. Comparatis Hmg 52—53 R. et Apsine 384—406 Sp. cum Anon. 7, 327—347 W. liquet in Asia quidem affectus fuisse diligentius tractatos.

---

[10] Locus apud Ciceronem *de inv.* I 55 fortasse duodecimus: *per quem disiunctio deploratur ab aliquo, cum diducaris ab eo, quocum libentissime vixeris, ut a parente, filio, fratre, familiari.*

Simul apparet exemplum de Phryne sumptum accuratius esse explicatum, quia aperitur non simpliciter Phrynen poenitentem pectus percussisse, antequam absolveretur ab iudicibus, sed productam esse ab Hyperide in quadam miserabili forma, i. e. (ut equidem opinor) ad supplicium abducendae, ut mimice illustrarentur sua verba exprimentis tamquam Antigonam aut Electram. Nec dubium quin rhetor aliquis ex ipsa Hyperidis oratione talia compererit. Hyper. *pro Euxenippo* 41 Ἐγὼ μὲν οὖν σοὶ Εὐξένιππε βεβοήθηκα ὅσα εἶχον. λοιπὸν δ' ἐστὶ δεῖσθαι τῶν δικαστῶν καὶ τοὺς φίλους παρακαλεῖν καὶ τὰ παιδία ἀναβιβάζεσθαι. Nemo enim de Phrynes actione quidquam ex aequalibus scilicet tradidit, ipse quoque Nilus pronomine indefinito (praeterea φασί bis Nilus) fontem suum tale quidquam e verbis Hyperidis conicere significat. E numero plurali sequi videtur esse exemplum e scholastica traditione petitum. Qua ex traditione certum aliquod nomen repetere velle nimis puerile esse duco.

Altera memoria fingit ipsum Hyperidem nudavisse pectus Phrynes, eaque res visa est novellis ingeniis antiqua et Graeca [11]. Sed praeter nudationem religiosam [12] nullam aliam invenio, quae aliter apud Graecos aestimata sit atque apud nos fit [13]; in signis [14], in theatris [15]. Meretrices Graecas proba-

---

[11] Cf. Raubitschek (RE XX col. 904 s. s. v. *Phryne*), qui etiam Radermacheri (Phil. Woch. XXVII col. 302 ss) sententiam affert; Semenow, *Hypereides u. Phryne*, Klio 1935 p. 271 ss.

[12] Heckenbach. *De nuditate sacra sacrisque vinculis.* Religionsgesch. Vers. u. Vorarb. IX 3, Giessae 1911.

[13] *Od.* VI 221 s. (Ulixes) αἰδέομαι γὰρ γυμνοῦσθαι κούρῃσιν ἐυπλοκάμοισι μετελθών. Herod. I 10 παρὰ γὰρ τοῖς Λυδοῖσι, σχεδὸν δὲ καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοισι βαρβάροισι, καὶ ἄνδρα ὀφθῆναι γυμνὸν ἐς αἰσχύνην μεγάλην φέρει. Polyb. XV 33. 8 de saevitia Aegyptiorum δεινὴ γάρ τις ἡ περὶ τοὺς θυμοὺς ὠμότης γίνεται τῶν κατὰ τὴν Αἴγυπτον ἀνθρώπων... εἶθ' Ἀγαθόκλεια (ἦχθη) γυμνὴ σὺν ταῖς ἀδελφαῖς... τὴν Οἰνάνθην ἀποσπάσαντες ἦγον εἰς τὸ στάδιον, ἄγοντες γυμνὴν ἐφ' ἵππου... τὴν γυναῖκα τοῦ Φιλάμμωνος γυμνὴν εἰς τὴν πλατεῖαν ἐξέλκουσαι διέφθειραν. Athen. 12, 14 (517) παρὰ δὲ Τυρρηνοῖς ἐκπόπως τρυφήσασιν ἱστορεῖ Τίμαιος ἐν τῇ α' ὅτι αἱ θεράπαιναι γυμναὶ τοῖς ἀνδράσι διακονοῦνται. Θεόπομπος δὲ ἐν τῇ τεσσαρακοστῇ τρίτῃ τῶν Ἱστοριῶν καὶ νόμον εἶναί φησιν παρὰ τοῖς Τυρρηνοῖς κοινὰς ὑπάρχειν τὰς γυναῖκας· ταύτας δ' ἐπιμελεῖσθαι σφόδρα τῶν σωμάτων καὶ γυμνάζεσθαι πολλάκις καὶ μετ' ἀνδρῶν, ἐνίοτε δὲ καὶ πρὸς ἑαυτάς· οὐ γὰρ αἰσχρὸν εἶναι αὐταῖς φαίνεσθαι γυμναῖς.

[14] Praxiteles et Scopas Venerem nudam produxerunt. Aetate Socratis iam mos apud artifices communis erat exempli e nuda puella

bile est speciosas fuisse ob tantam eius rei apud eos existimationem; quod etiam exemplo de Francogallia sumendo comprobari videtur. Scortum febriculosum vel putida moecha affectati sermonis invectivae Catullianae rectius adscribentur. Itaque non adeo mira fuit Phrynes species quam eius ingenium, quo duos summos artifices et e palaestra Atheniensi advocatum elegantissimum sibi conciliavit[16]. Veneris fuit effigies ex ea deformata non solum propter formam sed propter faciei dignitatem divinam. Ipsa crimina ei oblata testantur ingeniosam mimae in mysteriis ἀναδυομένης atque etiam sine his artificiis theologae indolem. Thais iunior Demosthenis amica fuisse traditur. Itaque duos eius sacculi summos oratores vulgatae amicae sibi devinxerunt, qua re ostenditur meretrices Graecas non id fuisse, quod nunc de eis magistri scholarum morose cogitant. Liberales quaestus minime feminis patebant. Poetria, sacerdos[17], meretrix potuit esse cui dote carenti matrimonium non contigit. Puellarum educatio apud pauperes vitabatur, ut quibus in matrimonium collocandis dos esset necessaria, sine autem matrimonio ἐπιτήδευμα aliud nullum. In tam difficili vitae condicione meretrices erant simpliciter *femmes entretenues*, quod nunc de uxoribus dici solet. Vulgo prostitisse tales feminas quis crediderit comicis aut fabellis grammaticorum? Vitam agebant liberiorem quam matronae *(les bourgeoises)*, non humiliorem, eam quam

---

sumendi. Ipse Socrates talia admiratum isse traditur a Xenoph. *mem.* 3. 11 et Ath. 13, 54 (588).

[15] De nuditate mimarum plura apud Reichium invenies: *D. Mimus* I 1 p. 170 ss. cf. Val. Max. II 10, 8: *eodem* (M. Porcio Catone) *ludos Florales, quos Messius aedilis faciebat, spectante populus ut mimae nudarentur postulare erubuit. quod cum ex Favonio amicissimo sibi una sedente cognosset, discessit a theatro, ne praesentia sua spectaculi consuetudinem impediret.*

[16] De nuditate speciosa haec ab Anonymo 7, 849 Walz traduntur: ... τὰ μὲν εὐσχήμονα τῶν σωμάτων γυμνὰ τυγχάνοντα διὰ τὴν φυσικὴν εὐπρέπειαν οὐκ ἐπιδεύονται καλύμματος, τὰ δὲ δοκοῦντα αἰσχρὰ ἐπικαλύπτονται καὶ σκέπης ἐπιδέονται...

[17] Meretrix-sacerdos Aeschinis mater; cf. Lobeck, *Aglaophamus* I p. 666. Μύστα appellabatur Σελεύκου τοῦ βασιλέως ἐρωμένη Ath. 13, 64 (593). In oratione *adv. Neaeram* narrantur religionis ab amicis feminis parum observatae exempla (cf. etiam Schneider, RE VIII col. 1340 s. v. *Hetaira*).

Georges Sand sortita est. Domi viros nobiles cenaculis suscipiebant. Videntur, ut Sappho et Aspasia, praefuisse puellarum coetibus, quae liberius instituebantur ut dotibus naturae aut ingenii vitam mererent. Virgo ingenua aut matrona pertinent ad mores civium venerabilium. A comicis meretrices ita male habitae sunt, ut Pericles et Socrates, viri notissimi. Notas esse feminas opprobrii habebatur non solum Thespiis, siquidem ipsa Sappho patriam fugit, Aspasia est Athenis accusata impietatis. Credo, maxime legitimae (uxores) odio in eas flagrabant et viri ab eis decepti (ut fecit Euthias), aut cives ferventissimi facti, ne pretium persolverent.

Altera memoria non tam processisse videtur a Syriano non satis distincte locuto περιῤῥήξει τῆς ἐσθῆτος quam inter *X oratorum vitas* auctor sua sumpsisse videtur. Ineptissima sunt quae Athenaeus 590 e libro de mulieribus amicis sumpsit. Pudicam fuisse Phrynen ibi narratur ex Hyperidis oratione: numquam eam publicis balneis usam esse (sc. ne gratis corpus exhiberet, quo quaestum faciebat). Ad mentum saepe vestitam esse densissimis textilibus. Minime curo, num talia Hyperides ipse protulerit. Certe quae de lege ab ipso Hyperide lata ibi narrantur, stupidissima sunt et lectoribus ignaris antiquitatis destinata. Quod plurima de Phryne apud Athenaeum leguntur, non causae esse debuit, ut Raubitschek hoc testimonio nixus similes ineptias in RE profunderet, cum inter tot testimonia nullum aliud inveniretur eius memoriae. Itaque prorsus neglegendum est neque Radermachero (etiam Blassio, *D. att. Ber.* 2 ed. 1898 III 2, 5) adstipulandum duas memorias constituentibus; cuius rei apud rhetores nullum vestigium exstat, quoniam etiam *X or. vitae* fabellas vulgares propagant.

Wratislaviae

IN *CITHARISTAE* FABULAM MENANDREAM OBSERVATIONES

Scripsit

GEORGIUS MANTEUFFEL

Ex quo tempore codex Cairensis ceteris fragmentis Menandreis auctus ac suppletus denuo ad lucem surrexit, plerique viri docti summa assiduitate miroque ingenii acumine in fragmentis Menandri restituendis[1] nec non in ipsis fabulis interpretandis operam navarunt stipemque contulerunt. Quorum opera factum est, ut editiones Menandreae quae nunc praesto sunt editionem principem Gustavi Lefebvre longe praeterirent. Sed omnium editionum, quae adhuc apparuerunt, multo praestantissimae sunt illa Christiani Jensen[2] et *Menandri quae supersunt* tertium edita ab Alfredo Koerte[3]. Huc accedit etiam *Epitrepontum* editio a Wilamowitzio confecta[4].

At nequaquam pari cura tractabantur adhuc cetera Menandri fragmenta exigua, et illud praecipue *Citharistae* fragmentum Berolinense, quod inde ab editione principi[5] fere immutatum in posterioribus editionibus prelo mandatur.

Itaque mihi persuasum est, ut chartam Berolinensem phototypice expressam denuo inspicerem novasque lectiones, quantum id contigit, hoc loco publici iuris facerem.

Columnae prioris nihil nisi reliquiae admodum exiguae

---

[1] Codicem in museo Cairensi asservatum recognoverunt A. Koerte (1908), Chr. Jensen (1910 et 1914), iterum editor princeps (1911), S. Sudhaus (1914) et novissime O. Guéraud, Bulletin de l'Inst. Français d'Archéol. Orient. 27, 1928 p. 127 s.

[2] *Menandri reliquiae in papyris et membranis servatae*, ed. Chr. Jensen, Berolini apud Weidmannos 1929.

[3] *Menandri quae supersunt, I*, tertium ed. Alfr. Koerte, Lipsiae, Teubner 1938.

[4] U. von Wilamowitz-Moellendorff, *Menander, Das Schiedsgericht*, Berlin 1925.

[5] *B. K. T.* V 2: *Lyrische und dramatische Fragmente*, bearbeitet von W. Schubart und U. von Wilamowitz-Moellendorff, Berlin 1907 (tabula adiecta est); tabula col. II etiam apud Schubartium. *Papyri Graecae Berolinenses*, Bonnae 1911, No IIa exstat.

supersunt. Etiam columnae insequentis pars superior valde est laesa; vv 35—40 iam inde legerunt atque suppleverunt editores principes, et ad v. 41 plurima supplementa proponuntur. Editores principes ita hunc locum legerunt:

οὐ δεῖ λαβεῖν με πορνο[. . . . .]θ . . . .

In fine vestigia obliterata Schubartio iudice sunt: ΘΙΣΥΝ vel ΘΙΟΝ; in lacuna πορνοβοσκοῦ vel πορνοκόπου supplendum esse censet Wilamowitz; ⟨ψω⟩θίον proposuit olim Koerte; id quod in papyro clare perspicitur, perperam mutavit Sudhaus, qui scripsit: πορν[ίδιον μέγ' ἄ]θ[λιον]; Jensen coniecit πορνο[βοσκοῦ] θ[υγατέρα, quem secutus est Koerte in editione tertia. Equidem nullo modo cum lectione Schubartii consentire possum, nam pro ΘΙΣΥΝ in charta potius ΘΕΛΚ[6]) exstare perspicio.

In columna prima adulescens quidam cum muliere loqui videtur de amore suo. In altera, quae ad actum insequentem iam pertinet, adulescens amico de maerore suo narrat: in terra enim peregrina uxorem duxit puellam, quam a lenone se abducere credebat, nunc autem in urbe quadam Graeca natam liberam et divitem esse comperit[7]. Sed non video, cur puella lenonis filia, sicut coniecit Jensen, accipienda sit, quam ob rem nova lectione nisus hunc locum ita supplendum esse censeo:

οὐ δεῖ λαβεῖν με πορνο[βοσκοῦ] θέλκ[τορα.

Ad quattuor litteras in fine versus supplendas spatium plane sufficere videtur. Itaque hunc locum ita fere interpretor: *non est ducenda mihi lenonis pellex,* etsi concedo vocem raram esse, sed conferas velim e. g. Aesch. *Suppl.* 1041; at a verbo θέλγειν, cui et *mulcendi* et *pelliciendi* notio inest, derivatur et proinde de puella a lenone nutrita suo iure dici potest. In fr. 559 K. θελκτήρια leguntur.

---

[6] Post litteram Θ exstat littera quaedam rotunda, cuius vestigia ad E, O, Θ pertinere possunt, deinde vero perspiciuntur duae hastae paulisper inclinatae atque inter se distentae, quae ad Λ, Δ, Λ quadrare videntur, et id quod sequitur fere certe pro K legi potest.

[7] Cf. praefationem Christiani Jensen p. XLIX—L et illam Alfredi Koerte ad editionem tertiam p. XLVII.

Qui iuvenes porro ita inter se colloquuntur, vv 42—47:

⟨A.⟩ τί δῆ τὸ λυποῦν σ' ἐστί; μ[ῶν οὐ]κ ἤγαγες[8]
ἐνταῦθα τὴν γυναῖκα κα[ὶ τὴν οὐσία]ν:
⟨B.⟩ οὐκ οἶδ' ὅπου γῆς ἐστιν· οὐκ [ἐλήλ]υθεν
οὔπω γε νυνὶ τῶν χρόν[ω]ν ὄντων μακρῶν.
λογίζομαι πᾶν. μή τι κατὰ θάλατταν ἢ
ἀτύχημα γεγονὸς ἢ...

Hoc loco nova quaedam difficultas opponitur: editores principes hic legerunt:

ἀτύχημα γεγονὸς ἢ περὶ . . . . ας: μὴ 'μαθῶς:

et addunt ante ας litteras Ξ, T, N, M lectu possibiles esse; Koertio teste, a quo charta Berolinensis a. 1911 recognita est, vestigia servata ad ναύτας quadrare videntur, λῄστας proposuit Herwerden. ἢ περὶ [πομπ]άς supplevit Sudhaus, cuius coniectura ad lectionem genuinam propius accedere videtur. ἢ περὶ νυκτάς dubitanter in apparatu critico posuit Jensen ac denique Koerte in editione tertia coniecturam suam ἢ περὶ ναύτας retractat et insuper etiam addit: *fortasse suspicatur perfidos nautas surripuisse mulierem.* Equidem in tabula haec scripta exstare conseo: η περιν.μας. Et ipsa comparatio κατὰ ἢ περί, ubi potius κατὰ ἢ κατά exspectare possis, nescio quid displicet. At praepositio περί, cui notio principalis est *circiter* et cui praepositio ἀμφί proxime accedit, sensu locativo *circa, ad, contra, in* vel *apud*, temporali *ad* et finali ac relativo *quod attinet ad, de, propter, prope, circiter* usurpari solet et per se haud longe, concedo, a praepositione κατά distat, sed ipsa relatio κατὰ ἢ περί mira quaedam et minus usitata esse mihi videtur atque hoc praecipue loco minime necessaria, ubi sententia „κατά τι ἢ τι" immo potius exspectatur. Qua re

[8] μ[ῶν οὐ]κ ἤγαγες supplevi, nam in imagine μ littera et non τ lacunam praecedit; τ[ί γὰρ οὐ]κ ἤγαγες editores principes et Koerte², π[ῶς δ' οὐ]κ ἤγαγες Sudhaus, quem Jensen secutus est, unde etiam sententia melior enucleari videtur.

respecta ac nova quodam modo lectione nisus lacunam ita fere restituendam esse censeo: κατὰ θάλατταν ἢ περιν[ο]μάς. Littera ν latius in charta scripta est, quam ob rem νο litteris lacuna, praesertim cum etiam μ sequatur, expleri videtur. Ac vox περινομή adhuc apud auctores non legebatur, nisi forte quod semel apud ipsum Menandrum exstat, cf. fragm. 894 K.: ἦσαν περινομαὶ τῇ θεῷ. Photius, unde hoc Menandri fragmentum sumptum est, addit propterea: περινομαί· περιχωρίαι κτλ. Μένανδρος. Itaque haec fere est sententia huius loci: A. *ubinam sit terrarum nescio; adhuc, etiamsi magnum temporis spatium praetermissum est, non venit. cuncta mecum reputo, utrum ei infortunium quoddam in mari an pompa sollemni acciderit.* Et recte quidem, nam quicumque fabulas comoediae quae Attica dicitur legit, facile mihi concedet puellas vel in peregrinationibus, vel etiam dum dearum festa tempora ab eis celebrantur, et in pompis praesertim nocturnis, in pericula adduci solere. Quae cum ita sint, coniectura, quam olim proposuit Sigofredus Sudhaus, rem fere acu tetigit, sed lectio mea et ad ipsa vestigia et ad locutionem Menandream propius accedere videtur. Colloquium porro his fere verbis agitur, vv 47—52:

〈A.〉 μὴ 'μαθῶς;
〈B.〉 οὐκ οἶδ'· ἀθυμῶ καὶ δέδοικ' ὑπερβολῇ.
〈A.〉 εἰκός τι πάσχειν. 〈B.〉 πρὸς ἀγορὰν δ' οὕτως ἅμα
προάγων ἀκούσῃ καὶ τὰ λοίφ' ὧν μοι γενοῦ
σύμβουλος. 〈A.〉 οὐθὲν κωλύει με. 〈B.〉 ταῦτα δὲ

Versum insequentem ita legerunt editores principes:

εισ . . . . . ω . . . . . στην ἐκποδών

et insuper in *Pap. Gr. Berol.* addidit Schubart, p. XII ad No II[a]: τὴν ταχίστην; Koerte supplevit εἴσω τις ἀ[γέτ]ω τὴν ταχίστην ἐκποδών, quem ceteri quoque editores Menandri secuti sunt. Sed mihi tabulam phototypicam (illam praesertim quae exstat in *Pap. Gr. Berol.* No II[a], ubi scriptura melius omnino evadit) quam diligentissime intuenti visum est hoc supplementum ad vestigia litterarum minime adaptari posse, ut iam omittam id, quod locus ipse sententia recta ac genuina omnino careat. Nam quid est, quod hic in

aedes adulescens portari iubet? Equidem in tabula potius ἐτύπην ἴω[μεν discerni posse credo. Hoc loco scaena prima huius actus terminatur. nam in eis quae sequuntur exstat colloquium inter Moschionis patrem ipsumque iuvenem et verba ἴωμεν — ἐκποδών vel his similia exitum actus vel singulae scaenae indicare solent, cf. e. g. *Epitr* 35, 404 s., 587[9]. *Peric.* 273, *Sam.* 153, ad ipsam vero locutionem cf. βάδιζε ἐκποδών *Peric.* 133, εἰς οἶκον ἐλθὼν ἐκποδών *Peric.* 290, ἀνῆλθεν ἐκποδών *Sam.* 46. Ita igitur hunc locum restituendum esse censeo:

ταῦτα δὲ
ἐτύπην. ἴω[μεν] τὴν ταχίστην ἐκποδών.

Postquam iuvenis A. ipse videlicet Moschion, causam maeroris sui ex parte saltem iam explicavit, excipit interlocutor: *rectene putas?* — *nescio,* inquit A, *discrucior et nimis graviter timeo.* Ac B: *patientia, nimirum, servanda est,* ad quae ita pergit A: *ad forum igitur me prosecutus et cetera quidem audies et in eis rebus mihi consiliator ades.* Tum B: *nihil* inquit *me impedit.* Et denique A: *in his vero attonitus sum. abeamus quam celerrime!* (vv 47—52).

Ex eo colloquio iuvenum A et B restitutionem meam ad ipsam sententiam quam optime accomodatam esse iam vides, ac verbum quidem τύπτεσθαι idem prope valere ac πλήττεσθαι ex his fere locis, quos e. g. hic affero, patet: ξυμφορᾷ τετυμμένος Aesch. *Eum.* 509, cf. *Choeph.* 31, τυπτόμενος πολλὰς (scil. πληγάς) Aristoph. *Nub.* 972, τὴν καρδίαν ἢ φυχὴν πλήττεις Plat. *Symp.* 218[a]. cf. praeterea Herod. II 42; III 64; Hom. *Il.* XIX 125: τὸν δ' ἄχος ὀξὺ κατὰ φρένα τύψε βαθεῖαν. Et apud Menandrum denique, etsi non sensu transitivo, hoc verbum in *Sam.* 229 scriptum occurrit, apud ceteros vero comicos cf. Antiph. fr. 195, 3—4 K., Eubul. fr. 60, 3, Alex. fr. 136.

In scaena secunda pater Moschionis se ab filio suo illudi queritur, nam Moschion eum nunc ex agro arcessivit, qui alias siquidem huc forte adesset, in agrum perfugiebat, sin vero ibi perveniret, revertens huc contendebat (vv 53—57). Haec est saltem interpretatio mea huius loci, nam in v. 57 pro eo, quod editores principes ἔπινε legerunt et adhuc in

[9] Numeri versuum sunt editionis Koertianae tertiae.

omnibus *Citharistae* editionibus exstat, olim lectionem ἔτεινε proposui[10] eam praecipue rationem secutus, quod apud Menandrum uno solo loco excepto, ubi πίνειν sensu paulisper immutato legitur (*Epitr.* 166—7), hoc verbum non absolute, sed cum obiecto directo, velut πίνειν κοτύλην *Epitr.* 4—5, *Peric.* 221; πίνουσι ἄκρατον *Sam.* 179, cf. etiam *Perinth.* fr. 5, *Col.* fr. 2, 4, vel indirecto, ut πίνει μετ' ἐκείνης *Epitr.* 528, cf. praeterea *Epitr.* 450, usurpari solet.

Et recte quidem, pergit senex, *deerat pater, qui admoneret, sed miratus non sum: equidem eorum numero fui, qui opes diminuere dicuntur*[11] (vv 57—60).

V. 61 ita legerunt editores principes: οὐκ [ἠδίκηκε]ν ἡ γυνὴ κατὰ τοῦτό γε et ceteri secuti sunt praeter Sudhausium, qui scripsit: οὐκ [αἰτία 'στι]ν ἡ γυνή etc: quae lectio etiam ab Jensenio excipitur.

Sed mihi quidem tabulas, quas *B. K. T.* et *Pap. Gr. Berol.* complectuntur, diligenter examinanti persuasum est lectionem ἡ γυνή vix veram esse posse, nam vestigia litterarum quae in papyro supersunt ad ea quae ab editoribus adhuc lecta sunt parum quadrare videntur. Huc accedit id, quod de senis uxore nulla omnino, in hac praesertim scaena, fit mentio. At in tabula id fere perspicere sum visus: ΟΥΚ [. . . . .]ΝΤΗΦ . Η, ubi Τ littera paene est certa, id quod sequitur ad ΙΣ vel Η spectare videtur, ex littera vero insequenti nihil iam nisi hasta perpendicularis exstat, et deinde spatium, duarum litterarum, vel unius adeo latius

---

[10] *Charisteria Gustavo Przychocki oblata,* Varsoviae 1934 p. 117 s. Coniecturam meam ad v. 58, κατέμ|αθ|ον scilicet pro eo, quod legerunt editores κατὰ [λόγ]ον, nunc missam facio.

[11] εἷς [τῶν λεγο]μένων scilicet accipio pro [δυνα]μένων Koertii. In v. 59 supplevit praeterea Wilamowitz: οὐ μ[ὴν πρὸς ὀρ]γήν; Koerte[2] δι' ὀργήν; Sudhaus proposuit οὐ μ[ὴν ἐπέσ]χεν, quam coniecturam recepit quoque Jensen, et Koerte[3] supplevit: οὐ μ[ὴν ἐπλή]γην. sed in tabula satis dilucide α pro μ littera perspicitur, quam ob rem οὐκ[οῦν ἐπλή]γην legendum esse censeo, cf. *Epitr.* 118, 185, 374, 377, *Peric.* 392, *Col.* 68.

perscriptae litteram H, quae iam servata est, antecedit, unde vero ita hunc versum restitui:

οὐκ [ἠδίκηκε]ν τῇ φ[υ]ῇ κατὰ τοῦτό γε[12].

At tamen difficultatis, quae hic exsistit, inscius non sum, nam apud Menandrum, etsi vox φύσις haud raro usu venit, etiam verbum φύειν bis legitur: *Epitr.* 765—6 ἡ φύσις ἐβούλεθ' ἡμῖ νόμων οὐδὲν μέλει· γυνὴ δ' ἐπ' αὐτῷ τῷδ' ἔφυ' (Ἡ φύσις — μέλει = Eurip. *Auge*, fr. 920 N²) et *Fab. Flor.* 70—71 ἁθ]ὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς, ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλῃ = Aesch. *Niob.* P. S. I. XI 1208, 15 = fr. 156 N², sed vox φυή adhuc scripta non occurrit. Φυή vero non solum *staturae* notionem habet, sed etiam *naturae*, sicut apud Pindarum *Ol.* 2, 154—5: σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ. *N.* 1, 37—8: χρὴ δ' ἐν εὐθείαις ὁδοῖς στείχοντα μάρνασθαι φυᾷ. *I.* 7, 31: ἄγει τ' ἀρετὰν οὐκ αἴσχιον φυᾶς, vel adeo *generis*, ut in Eurip. *El.* 461 et *Anth. Plan.* 183. Si igitur lectionem rectam assecutus sum, vox φυή idem fere atque apud Pindarum significare potest[13].

Itaque vv 61—62 in hunc fere modum converti possunt: *ac ne naturâ quidem in hoc peccavit, sed de me ipso hausit: nihil certe probi facit.*

Pars columnae inferior iam statim ab editoribus lecta et suppleta est atque nihil habeo quod addam: senex se Moschionem filium quaesiturum profitetur, sed antequam de scaenis decesserit, iam filius patrem aditurus venit.

Hic incipit columna tertia et ultima, quae dimidiata ad nos pervenit.

Sigofredus Sudhaus et eam columnam e. g. ac non sine ingenio quidem restituere conatus est[14], sed vereor, an ipsas Menandri sententias assequi ei contigerit.

Et recte quidem, nam mihi imaginem phototypicam, cum diligentius perscrutarer, id contigit, ut compluribus lo-

---

[12] Iota mutum interdum in papyro negligenter omittitur, cf. v. 40: ἀ[γαθ]ῇ τύχῃ, sed fortasse θ' ἡ φ[υ]ἡ scribendum est.

[13] Apud ceteros comicos haec vox deesse videtur, nisi quod in fr. 221 K. Cratini a Casaubono correcto scripta occurrit: οὐδὲ δεινοῦ φυὴν μελανούρου, ubi φυή ad corporis habitum referenda est.

[14] *Menandri reliquiae nuper repertae*, iterum edidit Siegfried Sudhaus, Bonnae 1914 pp 87—88.

cis lectiones correctiores assequerer, unde vero propriae Menandri sententiae restitui poterant.

Sed cum pagina a me nunc demum rectius restituta haud parum ab illa restitutione, quam olim proposuit Sudhaus, differat, columnam integram, quantum suppleri poterat, ex recensione mea nunc propono:

Col. III vv 69—101:

M. ἤδη δέ[δοικ'] εἴ γε σπ[εύδων νιν τεύξομαι.
Π. αἰτεῖν σὺ πατέ[ρα προσδοκεῖς, ἀβέλτερε;
οἶμαι· λιπα[ρ]εῖν δὲ καὶ [στένειν[15] πρόσεστί σοι.
προσμεινάτω σὺ θύρα[θεν ἕς τι πεύσομαι
ἐγὼ δὲ περὶ σοῦ. [M. χα[ῖ]ρε[πολλά μοι, πάτερ.
Π. καὶ σύ γ' ἀναιδές. M. λάθρ[α μὲν δεῖ προσαγεῖν.
οὐκ ἔλεγον ἐτ' εὐθ[ύς; εἰς ὀργὴν ἀφίκετο.
ἀλλ' ἀνδρεῖστέον γε. [Π. πῶς γάρ, οὐ λέγεις
τίνα λόγον; ἀεὶ πρός [με κρύπτεις, Μοσχίων,
πολλὰ περὶ πολλῶν. [M. τὴν ∪ — — θυγατέρα
γῆμαί με βούλει κα[ὶ μ' ἀδικεῖς σπεύδων γάμους.
Π. φρονήσεως γὰρ τοῦτο [δεῖται καὶ λόγου,
ὦ Μοσχίων, ἀστὴν λα[βεῖν γυναῖκά τις
ἕτοιμος, εἰ μὴ προστιθῇ[ι γαμετῆς πέρι
ἣν δεῖ λαβεῖν, αὐτὸς μὴ[ν ἀνόητος φανῇ.
ἐλευθέραν τοῦτο πολὺ μ[εῖζον[16] πρᾶγμα καὶ
μόνον κατὰ λόγον. εἰ δ[ῳ]ὴν λάβοις, σκοπεῖν
πρὸς τὸ γένος ἔστι. κάλλ[ος οὐ πρέπει μόνον,
εἰ παρθένον δή, π[ρ]ότε[ρον ὡς ἀγνὴν λάβῃς.
M. σύμβουλον ἂν κατήγα[γές σε μοί, πάτερ.
αὐτὸς κεκρικώς. ἐὰν [παρῇ μοι προσφιλής;

[15] Cf. *Epitr.* 95.
[16] Cf. fr 10 (176 K).

ἃ δὴ δέδωκας [αὖθις αὖ μ' ἀποστερεῖς.
μηθεὶς μάτην δέδοι[κεν αὐτόματον[17] κριτήν.
τὰ δ' ἄλλ' ἄκουσον στόμα[τος ἐκ τοὐμοῦ. μολὼν
εἰς τὴν Ἔφεσον, ἔπεσον [ἔρωτος εἰς πέδας.
τῆς Ἀρτέμιδος ἦν γῆς θ[εοφορουμένης[18]
δειπνοφορία τις παρθένω[ν ἐκεῖ τότε·
εἶδον κόρην ἐνταῦθα Φανίου [τινὸς
Εὐωνυμέως. ⟨Π.⟩ Εὐωνυμεῖς κἀ[κεῖ τινες
εἶσ' ἐν Ἐφέσωι; ⟨Μ.⟩ χρέα μὲν οὖν [πράξων παρῆν
ἐντεῦθεν. ⟨Π.⟩ ἆρα τοῦ κ[ι]θαριστο[ῦ Φανίου
ταύτην λαβεῖν ἐσπούδακ[ας τὴν θυγατέρα
τοῦ γείτονος νῦν ὄντος; οὗτο[ς μέντ' ἐκεῖ.

Supplementa, quae in apparatu non indicantur, sunt mea. 69 legi et supplevi; ἤδη δοκεῖ . . . . .]ος .[edd princ.; ἤδη δο[κεῖ μοι πρ]οσ[μένειν] Koerte cett 70 αἰτεῖν . . . αι . ε . .[edd princ.; αἰτεῖν [τι πρ]ᾶγ[μ'] ἐ[βούλετ' κτλ. Sudh. 71 οἶμαι μένειν δεῖ . .[edd princ. cett 72 προσμεινάτω . . .[edd princ.: [τις Sudh.; τὸν Koerte 73 suppl. Sudh.: χαῖρ[ε πάππα φίλτατε prop. Koerte 74 καὶ σὺ γε . . . . . .] edd princ.; καὶ σὺ γε· [τί δὴ] λέ[γειν πρὸς ἐμὲ βούλει τέκνον; Koerte[2] 75 οὐκ ἔλεγον εὐθύς . .[edd princ. 76 ἀλλ' ἀνδρεῖστέον .[edd princ. 77 legerunt edd princ., suppl. Sudh. 78-79 suppl. Sudh. 80 suppl. Sudh.. cf. *Epitr.* 512, Koerte[3]: τοῦτο δεῖ πολλῆς πάνυ Koerte[2] 81 ὦ Μοσχίων . ἄλλην μ[edd princ. cett 82 προστι[θεὶς edd princ.; προστίθ[ης Koerte; εἰ μὴ προστίθ[εσαι γαμετῆς πέρι Sudh. 83 αὐτ[ὸς] δὲ[edd princ. 84 τοῦτο πολὺ[edd princ.: πολὺ [πρῶτόν ἐστι καὶ Koerte Jens.; πολὺ π[ρῶτον κτλ. Sudh. 85 εἰ δ' ἀ[edd princ. 86 ἐστιν, ἀλλ[edd princ. cett 87 leg. edd princ.; εἰ παρθένον δὴ π[ρ]ότε[ρον ἢ γήραν, γαμεῖς suppl. Sudh. 88 ἂν κα[λ]ῇς[edd princ.; ἂν καλῇς [με γὰρ περὶ τῶν γάμων prop. Koerte; ἂν κα[λ]ῇς [σεαυτόν, ὦ πάτερ Sudh. 89 κεκριμ[ὼς edd princ. 90 suppl. Koerte[3] 91 μηθεὶς μάτην ε . . . .[edd princ. 92 ἄκουσον συστρ[edd princ.; συστρ[όφως ἐρῶ· μολών Koerte; συστρ[α-

[17] Cf. fr 924 K.

[18] Θεοφορουμένη inscripta est comoedia Menandri, cf. *Koerte*[3], p. 101 ss.

φέντ' . ἀφικόμενος Sudh. 93 suppl. Sudh. Koerte[3] 94 τῆς Ἑ[φεσίας . . . edd princ.:] τῆς Ἑ[φεσίας γὰρ τότε Koerte; τῆς ἑ[κεῖ νεανιῶν Sudh. 95 leg. edd princ.; παρθένω[ν ἐλευθέρων Koerte; παρθένω[ν τε, κἀν χοροῖς Sudh. 96 s. legerunt et suppl. edd princ. 98 suppl. Koerte; ἦλθεν φυγών edd princ.; ἐπράττετο Sudh. 99 leg. et suppl. edd princ. 100 suppl. Sudh.-Koerte; ἐσπούδακ[ας τὴν παρθένον edd princ. 101 ου[.]ο[edd princ. cett.

Vv 66—101: *Mo. Venitne ergo pater? nonne ille mihi sit adeundus? nam dedecet negotio tempus prorsum nec parumper absumere. iam metu affectus sum, an accelerans eum nanciscar. Pa. Tute, ut patrem precaris, appetis, stupide? sic opinor: ut perseveres et gemas, tibi decet, exspectato ad ianuam, donec de te quaeram. Mo. salve, mi pater. Pa. et tute, impudens. Mo. clam profecto afferendum est, nonne etiam confestim pronuntiavi? nam in furorem incidit, sed fortiter agendum est. Pa. Quomodo enim, numquid dicis? semper a me celas, Moschion, omnia de omnibus rebus. Mo. filiam ... me in matrimonium ducere cupis et me cum nuptias acceleras iniuria afficis. Pa. qua in re consilio ac prudentia opus est, Moschion, siquis indigenam uxorem ducere paratus est ac de nupta, quae sit ducenda, non considerabit, ipse tandem demens se ostendet. liberam — id longe gravius et certe unicum est, si captivam ducas, fac ut genus observes, ipsa pulchritudo non est conveniens, sin vero virginem, primum, ut castam ducas. Mo. nonne te mihi consiliatorem induxisti, mi pater, qui ipse diiudicasti, an mihi amica esset? quibus vero a te donatus sum, at eis vicissim et privor. nemo est, qui frustra iudicem spontaneum non pertimescat. sed cetera percipe ex ore meo: Ephesum profectus incidi in compedes amoris. tum ibi festum quoddam in honorem Dianae, quae in ea regione adorabatur, a virginibus agebatur: ibi conspexi puellam Phaniae cuiusdam Euonymei. Pa. nonne et ibi quoque Ephesi sunt Euonymei quidam? Mo. venit huc, ut negotium exerceret. Pa. num Phaeniae citharistae qui nunc vicinus est illam filiam in matrimonium ducere paratus es? hic saltem ibi*[19]... Hoc loco, quod dolemus, fragmentum servatum deficit.

[19] Ad hoc Moschionis cum Lachete patre colloquium etiam fragm. 3 (283 K.) pertinere videtur.

Fragmentum *Citharistae* Berolinense, id quod iam Wilamowitzius, quem etiam Koerte secutus est, recte perspexit, ad primum comoediae actum pertinere videtur, nam complectitur nonnulla quae ad fabulam exponendam requirantur [29].

Leopoli 1941

[29] Cf. *B. K. T.* V 2 p. 119.

DE TRAGOEDIAE GRAECAE FORMA PRIMIGENA

Scripsit

VICTOR STEFFEN

Ex quo tempore Aem. Reisch celeberrimam illam commentationem de tragoediae Graecae primordiis scripserat[1] disertisque verbis demonstraverat, quam lubricae essent opiniones, quae ante eum de his rebus pronuntiabantur, viri docti non desierunt tragoediae Graecae originem revolvere, sed in maius etiam studium incubuerunt, ut commutationes penitus recognoscerent et ex omni parte intellegerent, quas tragoedia subisset, priusquam illam sanctitatem assequeretur, quam laudat Aristoteles clarissimo illo *Artis poeticae* loco[2]. Tamen tragoediae Graecae originem eiusque commutationis gradus plane perspicere nondum contigit nihiloque minus etiamnunc virorum doctorum ingenia in his rebus expendendis exacuuntur. Quominus certa conclusio harum indagationum acquireretur, impediebat non solum testimoniorum antiquorum egestas et haud rara eorum auctoritatis suspicio, verum etiam nimia virorum doctorum coniectandi ambitio, si quae res apud antiquos scriptores non satis perspicuae aut lacunosae occurrerent, et proclivis divinandi cupido etiam in eis rebus, quae sola divinatione expleri non possunt. Itaque primum ac potissimum maximeque necessarium esse videtur omnes antiquorum enuntiationes, quae ad tragoediae Graecae primordia pertineant alicuiusque momenti esse videantur, diligentissime percensere et aestimare, ne omissis aut neglectis eis rebus, quae firma omnis indagationis fundamenta esse debent, incautae opiniones innotescant, quibus rationum conclusio aut infringatur aut omnino corruat.

Ac clarissimum illum *Artis poeticae* Aristoteleae locum 1449 a 9 ss, quem in tragoediae originem historiamque inqui-

---

[1] *Zur Vorgeschichte der attischen Tragödie*, Festschrift Th. Gomperz dargebr., Vindob. 1902 pp 451—473.

[2] 1449 a 12: ἐκ λέξεως γελοίας διὰ τὸ ἐκ σατυρικοῦ μεταβαλεῖν ὀψὲ ἀπεσεμνύνθη (sc. ἡ τραγῳδία).

renti silentio praeterire non fas est, optime efficacissimeque tractavit Gualtherus Kranz[3], qui materiis accuratissime disquisitis demonstravit, quam cautae et firmae et studiis antiquorum litterariis fultae essent opiniones de tragoediae primordiis a Stagirita prolatae. Pari successu studia spectantia ad dramatis satyrici principia, quae cum tragoedia nascente ac formam suam quaerente aliquo modo cohaerere videntur, promovit M. Pohlenz[4]. Quae duae commentationes ad primordia tragoediae recte cognoscenda et aestimanda plurimum contulerunt. Sed ut omnes commutationes (μεταβολαί), quas tragoedia inde ab ipsis principiis usque ad illam perfectam formam sive σεμνότητα inierat, accurate percenseantur et illustrentur, pluribus opus est commentationibus singulas res traditionis antiquae examinantibus. Atque hanc commentationem, quam lectori benevolo de primordiali vocis tragoediae vi et origine propono, unam ex illa disputationum serie esse volo, quibus antiquorum sententiae ad tragoediae Graecae originem spectantes recte aestimentur. Nam persuasum mihi habeo neque quisquam negare audebit in nomine ipso quandam tragoediae eiusque originis historiam reconditam esse.

Quamquam inter omnes constat tragoediae nomen ex duobus vocabulis 'τράγος' et 'ᾠδή' compositum esse, tamen nomen illud varie intellegitur et explicatur. Iam veteres grammatici difficultate quadam liberi non erant mireque dissentiebant, cum veram vocis tragoediae vim et condiciones, inter quas orta esset, recognoscere conabantur. Quae antiquorum aporia in variis vocis explicandae conatibus reprehenditur. Non huius est loci omnes antiquorum opiniones ad hanc rem spectantes perstringere, quippe quas collegerit et discepta-verit Roy C. Flickinger in commentatione, quam de tragoedia et dramate satyrico scripserat[5]. Neglectis igitur ceteris solum eas antiquorum opiniones in considerationem vocare opportunum habeo, quae etiam nostris temporibus

[3] *Die Urform der attischen Tragödie und Komödie,* Neue Jahrb. f. d. klass. Altertum 43 (1919) pp 145—168.

[4] *Das Satyrspiel und Pratinas von Phleius,* Nachrichten von der Gesellschaft der Wiss. zu Göttingen. Philol.-hist. Klasse 1926 pp 298—321.

[5] *Tragedy and the Satyric Drama,* Classical Philology 8 (1915) p. 261 ss.

comprobantur et summa fide dignae putantur. Hoc enim modo ad tragoediae historiam me aliquid allaturum esse arbitror.

A scriptoribus antiquis multifariam comperimus tragoediae nomen carminibus dithyrambicis, quae in Dionysi honorem antiquitus canerentur, inditum esse, propterea quod optimo poetae hircus sive τράγος praemio daretur. Quae res clarissimis verbis expressa est apud Eusebium ad Olymp. 47,2 (= 591/0 a. Chr. n.): τοῖς ἀγωνιζομένοις παρ' Ἕλλησι τράγος ἐδίδοτο, ἀφ' οὗ καὶ τραγικοὶ ἐκλήθησαν et apud Hieronymum ad eandem Olymp.: *his temporibus certantibus in agone tragus, id est hircus, in praemio dabatur. Unde aiunt tragoedos nuncupatos*[6]. Tragoediam igitur scriptores antiqui carmen fuisse arbitrabantur, quo poeta primum locum praemiumque hirci sibi asciscere contendebat.

Quamvis a R. Bentleio[7] et post eum a multis et aliis rerum antiquarum investigatoribus haec tragoediae interpretatio comprobata et sine ulla dubitatione accepta sit, tamen fieri non potest, quin reiciatur, cum neque sermonis legibus satisfaciat neque rem ipsam in certo ponat. Iam diu enim compertum habemus verba omnia ita formari, ut quandam peculiarem ac propriam notam contineant eius personae aut rei, quam significent. Itaque assentiri non possumus praemium poetae propositum, cui nihil commune esset cum natura et indole carminis, aliquam vim ad carmen poetae nominandum habuisse. Quapropter iam C. O. Müller[8] hanc tralaticiam opinionem imminuebat, cum diceret carmina dithyrambica non ideo tragoediae nomen accepisse, quod poetae hircus praemio daretur, sed potius ea de causa, quod carmina ista circum hircum deo immolandum canerentur. Ceterum M. Pohlenz[9] satis superque demonstravit doctrinam de carmine ex praemio nominato non prius ortam esse, quam aetate, quae dicitur, hellenistica. Reisch quidem in commentatione, quam supra commemoravimus, no-

---

[6] Ceteri loci collecti sunt apud Flickingerum, *Tragedy and the Satyric Drama* p. 269, 3.

[7] *De Phalaridis epistula* p. 295.

[8] *Hist. of. Lit. in Anc. Greece* I 385; cf. etiam Roy C. Flickinger, *Tragedy and the Satyric Drama* p. 269 s.

[9] *Das Satyrspiel und Pratinas von Phleius* p. 303 s.

mina αὐλῳδός, κιθαρῳδός, κωμῳδός in memoriam vocavit, quae ita sunt formata, ut prior nominis compositi pars causam aut rationem carminis exprimat. Quibus vocibus E. Kalinka [10] adiunxit nomen ῥαψῳδός, quod per iocosam transformationem e voce ῥαβδῳδός ortum esse suspicatus erat A l y [11]. Sed haec nomina cum nomine τραγῳδός significante carmen poetae praemium quaerentis comparari non possunt. Nam in illis nominibus pars prior reapse aut ad instrumentum respicit, quo adhibito carmen a poeta producitur aut occasionem indicat, qua carmen profertur eoque modo nominatio cum notione artissime coalescit. In nomine autem τραγῳδός nullam peculiarem ac propriam carminis notam conspiciemus, si tragoediam carmen poetae de praemio certantis esse putabimus. Praemium enim, quod auctori carminis proponitur, neque poetae ipsius neque quidem carminis ab eo compositi aliquam notam aut indolem continet. Itaque refutanda est opinio eorum, qui a praemio poetae proposito carmini nomen inditum esse asseverant.

Accedit etiam, quod certantibus poetis in Dionysi honorem carmine dithyrambico tria praemia proponebantur: bos ei poetae, qui primum in agone locum occupavisset, secundo poetae amphora, tertio hircus. Evidentissime hanc institutionem testificatur scholiasta in Platonis *Rem publ.* 394 c, quem haud spernendis fontibus in hac re tradenda usum esse suspicari licet ex tenore verborum etiam apud alios scriptores recurrentium: εὑρεθῆναι μὲν τὸν διθύραμβον ἐν Κορίνθῳ ὑπὸ Ἀρίονός φασι. τῶν δὲ ποιητῶν τῷ μὲν πρώτῳ βοῦς ἔπαθλον ἦν, τῷ δὲ δευτέρῳ ἀμφορεύς, τῷ δὲ τρίτῳ τράγος, ὃν τρυγὶ κεχρισμένον ἀπῆγον [12]. Si igitur neglectis iam sermonis legibus, quas supra exposuimus, a praemio poetae carmini nomen inditum esse concederemus, tamen credere non possemus tertium praemium in nomine carmini inveniendo maxime respectum esse neglecto praemio primo, quo poeta maximo honore afficiebatur. Restat igitur, ut etiam hac de causa opinionem eorum

[10] *Die Urform der griechischen Tragödie*, Comm. Aenip. 10 (1924) p. 31.

[11] RE I A (1914) col. 245.

[12] Conferantur e. g. Herodoti verba I 23: Ἀρίονα τὸν Μηθυμναῖον... διθύραμβον πρῶτον ἀνθρώπων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν ποιήσαντά τε καὶ ὀνομάσαντα καὶ διδάξαντα ἐν Κορίνθῳ et quae de scholiastae verbis dicit Roy C. Flickinger p. 269, 2.

redarguamus, qui tragoediae nomen a praemio poetae proposito deductum esse auguruntur.

Transeamus nunc ad alteram opinionem apud antiquos saepius occurrentem, qua tragoedia ideo appellata esse autumabatur, quod inde ab Arionis temporibus satyri carmina dithyrambica canebant, qui facie aspectuque hircis simillimi essent hircorumque nomine nuncuparentur. Quae opinio evidentissime occurrit apud Hesychium s. v.: τράγους· σατύρους διὰ τὸ τράγων ὦτα ἔχειν et in Etym. M.: τραγῳδία· — ἢ ὅτι τὰ πολλὰ οἱ χοροὶ ἐκ σατύρων συνίσταντο, οὓς ἐκάλουν τράγους σκώπτοντες. ἢ διὰ τὴν τοῦ σώματος δασύτητα. ἢ διὰ τὴν περὶ τὰ ἀφροδίσια σπουδήν· τοιοῦτον γὰρ τὸ ζῷον. ἢ ὅτι οἱ χορευταὶ τὰς κόμας ἀνέπλεκον, σχῆμα τράγων μιμούμενοι [13]. Quamquam nostris etiam temporibus non desunt viri docti, qui hanc antiquorum opinionem sequantur, tamen fieri non potest, quin accuratius examinata corruat similiter ac ea, quam supra tractavimus. Nam infringitur iam ea re, quod in antiquissimis vasculorum picturis, ut evidentissime demonstraverat Reisch [14], satyri non hircis similes apparent, sed caudam et aures gerunt equinas nec omnino a silenis differunt, qui apud satyrographos Graecos alia sunt specie ac satyri. Itaque haud scio, an potius putandum sit satyrorum speciem, quos posterioribus temporibus hircis similes agnoscere solemus, a satyrographis Atticis inductam esse, ut a Sileno, parte eorum, facilius discernerentur. Cum autem antiquissimis temporibus satyri animis Athenienssium equis similes obversarentur, fieri non potuit, ut hircorum nomine appellarentur. Immo vero tragoediae nomen ortum esse videtur, priusquam satyri ab Arione carmina dithyrambica in Dionysi honorem canentes producti essent. Nam si tragoediae nomen eo tempore, quo satyri primum in scaenam prodierunt, non exstitisset, certe carmen a satyris productum σατυρῳδία appellatum esset [15], praesertim cum satyri illi carmini cum actione quadam coniuncto peculiarem notam dedissent. Sed σατυρῳδίας nomen nunquam ab antiquis excogitatum est, vigere autem non desiit tragoediae nomen,

---

[13] Ceteri antiquorum loci allati sunt apud Flickingerum p. 280 s.

[14] *Zur Vorgeschichte der attischen Tragödie* p. 445 ss.

[15] Cf. Roy C. Flickinger, *Tragedy and the Satyric Drama* p. 269,

quod iam ante Arionem ortum esse videtur ad designanda carmina, quae in Dionysi honorem canebantur. Quod quidem mirum videri non potest. cum nomina cum cultu et religione connexa non facile novis vocabulis mutentur. etiamsi res ipsa naturam suam mutaverit.

Cum duas gravissimas opiniones ad tragoediae nomen pertinentes non solum ab antiquis propagatas, sed etiam a nostrorum temporum viris doctis comprobatas reprobaverimus, restat, ut eam tragoediae nominis explicationem proponamus, quam nostra consideratione profectam aptiorem esse putamus, quae tenebras circum tragoediae primordia volantes dimoveat. Atque imprimis curandum est, ut omnes antiquorum enuntiationes, quae ad tragoediae principia pertineant, diligentissime percenseantur. Nec fugiet nos scriptores antiquos, quandocumque de illis principiis dicant, nusquam adhibere nomen tragoediae, sed ubique uti adiectivo τραγικός cum aliquo nomine coniuncto, quod actionem ipsam denotat. Herodotus illo celeberrimo loco, qui ad tragoediae originem indicandam creberrime affertur, choros tragicos memorat (V 67): τά τε δὴ ἄλλα οἱ Σικυώνιοι ἐτίμων τὸν Ἄδρηστον καὶ δὴ πρὸς τὰ πάθεα αὐτοῦ τραγικοῖσι χοροῖσι ἐγέραιρον, τὸν μὲν Διόνυσον οὐ τιμῶντες, τὸν δὲ Ἄδρηστον. Κλεισθένης δὲ χοροὺς μὲν τῷ Διονύσῳ ἀπέδωκεν, τὴν δὲ ἄλλην θυσίην Μελανίππῳ. In libro Suda, ubi mentio fit illius actionis ab Arione institutae, τραγικὸς τρόπος laudatur, cuius auctor fuerit Arion: λέγεται καὶ τραγικοῦ τρόπου εὑρετὴς γενέσθαι καὶ πρῶτος χορὸν στῆσαι ⟨κύκλιον⟩ καὶ διθύραμβον ᾆσαι καὶ ὀνομάσαι τὸ ᾀδόμενον ὑπὸ τοῦ χοροῦ καὶ σατύρους εἰσενεγκεῖν ἔμμετρα λέγοντας. Eodem modo Dioscorides, cum Thespidis artem celebrat, non tragoediae nomine utitur, sed τραγικὴν ἀοιδήν ab eo inventam esse dicit (VII 410):

Θέσπις ὅδε, τραγικὴν ὃς ἀνέπλασα πρῶτος ἀοιδήν
κωμήταις νεαρὰς καινοτομῶν χάριτας.

Solum in Ioannis Diaconi commentario in Hermogenem, qui novissimis temporibus ab H. Rabe in lucem prolatus est[16], tragoediae nomen occurrit: τῆς δὲ τραγῳδίας πρῶτον δρᾶμα Ἀρίων ὁ Μηθυμναῖος εἰσήγαγεν, ὥσπερ Σόλων ἐν ταῖς ἐπιγραφο-

[16] Rhein. Mus. 63 (1908) p. 150.

μέναις ἐλεγείαις ἐδίδαξεν. Χάρων (δράκων cod.: corr. Wilamowitz) δὲ ὁ Λαμψακηνὸς δρᾶμά φησι πρῶτον Ἀθήνησι διδαχθῆναι ποιήσαντος Θέσπιδος. Sed Ioannes Diaconus non satis diligens in his rebus tradendis fuisse videtur, quod iam a pluribus criticis observatum est. Nam Solonis verba ad tragoediae originem spectantia non eo tenore affert, quo ab illo in carmine elegiaco adhibita erant, sed sententiam tantum poetae suis verbis adumbrat adscribitque Soloni tragoediae nomen, quod consentientibus plurimis viris doctis metro elegiaco repugnat neque eo tempore, quo Solo carmina sua composuerat, in usu fuisse videtur. Kalinka quidem perspexit tragoediae nomen in versu elegiaco reponi posse ea tamen condicione, ut tamquam vox quinque syllabarum legeretur: τραγωῖδία[17]. Ceterum genetivus qui dicitur explicativus τραγῳδίας cum dramatis nomine coniunctus (τραγῳδίας δρᾶμα) inusitatus esse videtur et linguae Graecae alienus. Nihilo minus Ioannis Diaconi verba digna esse demonstravit Wilamowitz, quae in perquirendis rebus tragicis respicerentur, praesertim cum titulum carminum Solonis exhibeant, in quibus tragicae actionis mentio facta esse dicitur[18]. Qua de causa quamquam nomen tragoediae ipsius ex Solonis elegiis excludimus, tamen non negamus in Solonis carminibus aliquid dictum esse, quod cum tragica actione cohaereret. Immo veri est simillimum a Solone Arionem non τραγῳδίας δράματος, sed potius τραγικοῦ δράματος auctorem nominatum esse, quae verba optime ad metrum elegiacum quadrant. Nam si Solo τραγῳδίας voce reapse usus esset, supervacaneum fuisset nomen δρᾶμα, quo Diacono testificante et Solo et Charo usi sunt. Quae cum ita sint, Soloni verba τραγικὸν δρᾶμα adscribimus, quae in eandem seriem quadrant ac ea, quae ab aliis scriptoribus ad tragoediam primigenam nominandam adhibita sunt velut τραγικὸς χορός, τραγικὸς τρόπος, τραγικὴ ἀοιδή.

Quibus ex ratiocinationibus dilucidissime apparet ab omnibus scriptoribus antiquis adiectivum τραγικός cum aliquo nomine actionem exprimente coniunctum et usitatum esse, cum quaestio erat de tragoediae primordiis. Ex quo fa-

[17] *Die Urform der griechischen Tragödie* p. 38.

[18] *Die Spürhunde des Sophokles,* Neue Jahrb. f. d. klass. Altertum 29 (1913) p. 63.

cile concludi potest tragoediae nomen illis remotis temporibus, cum tragoedia nascebatur, nondum exstitisse. Si hoc nomen iam exstitisset, etiam χορός et τρόπος non τραγικός, sed potius τραγῳδικός appellatus esset. Quodsi inde a quinto ante Chr. n. saeculo adiectivum τραγικός eandem vim habet ac τραγῳδικός, id contra nostram opinionem non pugnat. Nam adiectivum τραγικός tantopere cum tragica actione coaluit, ut de loco suo non cesserit innotescente τραγῳδίας nomine, sed tantum significatum suum paulo mutaverit. Et quod inde sequitur, vix negare licet adiectivo τραγικός nomen substantivum τράγος praecucurrisse, quo nomine nuncupabantur ii, qui Dionysum in pompis sequebantur et in honorem eius carmina dithyrambica canebant.

Satyri autem, ut iam Reisch demonstraverat, hoc nomine (sc. τράγοι) non appellabantur, cum illis temporibus, quibus tragoedia nascebatur, non hircis similes essent, sed quasdam equorum notas haberent. Ceterum si hircorum nomen ad eos relatum esset, etiam satyrographi Graeci hoc nomine eos appellassent. Sed apud satyrographos res ita se non habet. Satyri in fabulis satyricis nusquam hirci (τράγοι) appellantur, solum propter barbam, quam gerunt, cum hircis comparantur. Duo loci, qui a nostrorum temporum criticis in medium proferuntur, ut satyrorum facies eadem fuisse ac hircorum convincatur, nostram opinionem non infirmant, sed potius corroborant. Alter illorum locorum, quem R. Stanley Aeschyli *Prometheo satyrico* vindicaverat, exstat in Plutarchi tractatu *de capienda ex inimicis utilitate* c. 2. p. 86 s.: τοῦ δὲ σατύρου τὸ πῦρ, ὡς πρῶτον ὤφθη, βουλομένου φιλῆσαι καὶ περιβαλεῖν, ὁ Προμηθεὺς 'τράγος', ἔφη, 'γένειον ἄρα πενθήσεις σύ γε'. Similiter apud Epiphanium, *Ancor.* p. 109 a (vol. I p. 208 s. ed. Dindorf.). Nominativus τράγος hic vocativi vice non fungitur, ut vult Eustathius[19] et alii post eum viri docti, sed omissa per ellipsin, quae dicitur, particula ὡς tamquam per comparationem adhibitus est. Plena igitur sententia hanc fere formam acciperet: ὡς τράγος γένειον ἄρα πενθήσεις σύ γε. Similis verborum constructio, ubi nominativus

[19] *Il.* III 277 p. 415, 7 ἥλιος—εἴρηται ἀντὶ τοῦ ὦ ἥλιε, ὁποῖον σὺν ἄλλοις καὶ τὸ 'τράγος, γένειον ἄρα πενθήσεις σύ γε' ἀντὶ τοῦ ὦ τράγε.

omissa comparationis particula ὡς item per comparationem adhibitus est, recurrit in Sophoclis fragm. 45 St. ex Ἑλένης γάμῳ deprompto: πέπων ἐρινὸς ἄλλους ἐξερινάζεις λόγῳ. Ergo in Aeschyli fragmento satyrus hircus non appellatur, sed cum hirco comparatur. Multo etiam clarius haec res ex Sophoclis *Indag.* v. 357 s. elucet, ubi haec leguntur:

ἀλλ' αἰὲν εἶ σὺ παῖς· νεὸς[20] γὰρ ὢν ἀνὴρ
πώγωνι θάλλων ὡς τράγος κνηκῷ χλιδᾷς.

Quae cum ita sint, eis applaudere non possumus, qui illis remotissimis temporibus satyros propter aspectum hircos appellatos esse opinantur.

Restat nunc, ut circumspiciamus, quibus personis hircorum nomen primitus inditum sit. Explicationem autem huius rei in fabulis satyricis imprimis quaerendam esse arbitror. In Euripidis enim *Cyclope* satyri contra voluntatem suam pastorum munere fungentes nihil aliud exspectant, nisi ut ad Dionysum, dominum suum, revertantur eique etiam posthac inserviant[21]. Qua de causa pastorum laboribus non contenti sibi τράγου χλαίναν μελέαν non placere conqueruntur[22]. Apud Theocritum VII 15 τράγοιο κνακὸν δέρμα etiam ad pastorum vestitum pertinet. Neque omnino mirum esse videtur pastores antiquissimis temporibus hircorum pellibus vestitos fuisse et inde tralaticium nomen hircorum accepisse, praesertim cum magna frequentia iuncti publice ad cultum faciendum prodirent. Imprimis Dionysi pompis, qui multitudini carissimus deus fuit, intererant eumque una cum satyris et nymphis laetis clamoribus celebrabant. Hic pastorum habitus disertis verbis in Sophoclis *Indag.* v. 217 ss describitur, cum Cyllene nympha ad satyros tumultuantes haec dicat:

τίς ἥδε τέχνη, τίς μετάστασις πόνων,
οὓς πρόσθεν εἶχες δεσπότῃ χάριν φέρων

---

[20] Servanda est papyri lectio νέος ἀνήρ; satyri enim cum Sileno sene comparati νέοι ἄνδρες sive iuvenes sunt.

[21] Cf. v. 708 s. ἡμεῖς δὲ συνναῦταί γε τοῦδ' Ὀδυσσέως
ὄντες τὸ λοιπὸν Βακχίῳ δουλεύσομεν.

[22] V. 80.

ὑμῶν[23], ὃς αἰεὶ νεβρίνῃ καθημμένος
δορᾷ χεροῖν τε θύρσον εὐπαλῆ φέρων
ὄπισθεν εὐίαζες ἀμφὶ τὸν θεὸν
σὺν ἐγγόνοις νύμφαισι καὶπόλων[24] ὄχλῳ:

Quae cum ita sint, facile concludi potest Dionysum a pastoribus pompis carminibusque celebratum esse, priusquam satyri ab Arione in actionem inducerentur, pastores autem pellibus hircorum ornatos et in honorem dei agentes hircos nuncupatos et carmen eorum τράγων ᾠδήν sive τραγῳδίαν appellatam esse. Haec τραγῳδία a pastoribus temporibus remotissimis instituta tragoediae posterioris primigena forma fuit. Quamquam actio ipsa multas commutationes subierat, quarum mentionem invenimus apud Aristotelem celeberrimo illo *Artis poeticae* loco 1449 a 9 ss., tamen tragoediae nomen cum cultu et religione Dionysi connexum adhiberi non desiit.

Wratislaviae

[23] In papyro legitur ὑμεῖν.

[24] In papyro exstat καὶ ποδῶν ὄχλῳ, quam lectionem emendavi (*Stud. sat.* I p. 24) comprobante A. de Blumenthal (Gnomon 17, 1942 p. 92): *Das unverständliche καὶ ποδῶν ὄχλῳ erörtert S(iegmann) nicht, und doch hätte Steffens evidente Verbesserung Erwähnung verdient.*

QUAESTIONUM ISAGOGICARUM SPECIMINA TRIA

Scripsit

MARIAN PLEZIA

1. Chrysippeum.

In Chrysippi librorum indice apud Diogenem Laertium conservato (VII 189 ss = Stoic. Vet. Frgg vol. II p. 5 ss Arnim), de quo consulas velim A. Dryoff, *Ueber die Anlage der stoischen Bücherkataloge*, Wirceburgi 1896 progr.: H. Arnim, RE III (1899) 2504 s.: E. Bréhier, *Chrysippe*, Paris. 1910 p. 22, praeter cetera illustrissimi illius Stoici scripta logica, isagogica forma praedita, legitur etiam titulus (p. 7,15 Arn.):

περὶ συλλογισμῶν εἰσαγωγικῶν πρὸς Ζήνωνα ᾱ.

Numquam mihi persuadere potui hunc locum recte traditum esse. Quid enim? Pervenit-ne ad nos usquam in tot antiquorum libris, artem logicam tractantibus, notitia quaevis de syllogismis istis *introductoriis*? Equidem aperte profiteor me nullam eiusmodi syllogismorum speciem apud Prantelium, *Gesch. d. Logik* I, Lipsiae 1855 et qui nuper de iis rebus disputaverunt Scholzium, *Gesch. d. Logik*, Berol. 1931. et Kappium. *Syllogistik* RE IV A (1931) 1046 ss, apud Łukasiewiczium denique nostrum. sagacissimum logicae Stoicorum investigatorem [1], invenisse. At ne animo quidem fingi potest. quid tali nomine Chrysippus significare voluerit. Corrupti tamen aperte loci medela praesto est: legamus modo ο pro ω et omnis sensus tolletur repugnantia:

περὶ συλλογισμῶν εἰσαγωγικὸν πρὸς Ζήνωνα ᾱ.

Vocem εἰσαγωγικόν enim (scil. βιβλίον) idem atque εἰσαγωγή significare posse in Stephani *Thesauro l. Gr.* s. v. εἰσαγωγικός facile invenies. Coniectura nostra ea etiam re commendari videtur, quod illud Chrysippi opusculum uno tantum libro constabat (ᾱ!). Argumento vero considerato perquam probabile fit, eum librum de syllogismis introductorium

[1] Przegląd Filozoficzny 37 (1934) 417 ss = Erkenntnis 5 (1935) 2 ss.

eundem fuisse atque τὴν πρώτην περὶ συλλογισμῶν εἰσαγωγήν, cuius fragmentum satis amplum servavit Sextus Emp. *adv. math.* VIII 223 ss = St. Vet. Frgg II 80 s., prima enim syllogismorum doctrinae elementa ibi Chrysippus exposuerat.

2. Apollodoreum.

Apollodorus Seleuciensis, nonnumquam τοῦ Ἐφίλλου cognomine nuncupatus (ita Arnim in St. Vet. Frgg III, Susemihl, *Gesch. d. gr. Lit. d. Alexandrinerzeit* I 86, n. 304; Barth-Goedeckemeyer, *Die Stoa*[5], Stutgardiae 1941, 116; Sinko, *Lit. gr.* II 1. 76; Seleuciensem a τῷ Ἐφίλλῳ diversum putat Arnim. *Apollodoros* 66, RE 1 (1894) secutus Zellerum. *Philos. d. Griech.* IV[3] 47, n. 1). Diogenis Babylonii discipulus, saepius apud Diogenem Laertium citatur. Primum philosophiae divisio e libro eius, qui εἰς τὰ δόγματα εἰσαγωγαί inscriptus erat, profertur (DL VII 39 = St. Vet. Frgg III 259, 18), deinde plura fragmenta laudantur modo e libro de physicis (Φυσική DL VII 125. 135. 142. 143. 150) modo de ethicis (Ἠθική DL VII 102, 118. 121. 129) petita. Praeterea duo fragmenta leguntur in reliquiis Arii Didymi (*Dox. Gr.* p. 460,6 ss; 461.7 ss Diels). Omnia collegit Arnim, St. Vet. Frgg III 259 ss. Ad eundem Apollodorum spectare videntur, quae narrat Suidas s. v. *Theon*: Θέων Ἀλεξανδρεύς, φιλόσοφος Στωϊκός, γενομὼς ἐπὶ Αὐγούστου μετὰ Ἄρειον, ἔγραψε τῆς Ἀπολλοδώρου φυσιολογικῆς εἰσαγωγῆς ὑπόμνημα (vol. II p. 702, 5 ss Adler).

Nunc animadvertas velim, cuius modi sint omnia ista fragmenta. Frgg 1. 2. 13 (DL VII 39. 41. 84) de philosophiae definitione et singularum eius partium ordine agunt, frg. 3 (ib. 54) ad iudicandi regulam pertinet, frg. 4 (ib. 150) corporis definitionem continet, frg. 6 (ib. 135) definitionem superficiei, lineae, puncti, frg. 7 (Arius Did. ap. Stobaeum *ecl.* I p. 166, 24 ss. Wachsm.) definitionem motus, frg. 8 (ib. p. 105, 8 ss) definitionem temporis, frgg 9. 10. 11 (DL VII 142. 143) universi nomen et naturam explicant, frg. 14 (ib. 102) definitionem et exempla exhibet earum rerum, quae neque bona sunt neque mala, frgg 16. 17. 18 (ib. 118. 121. 129) sapientis proprietates definiunt. Non est igitur quod miremur, cur omnia illa fragmenta apud doxographos Arium et Laertium Diogenem servata sint: referti erant nimirum Apollodori li-

bri definitionibus, divisionibus, descriptionibus ita, ut omnis Stoicorum doctrina breviter, sed ordine et accurate ex eis cognosci posset. Unum est etiam horum fragmentorum proprium, quod intactum relinquere nolim: ubique fere Apollodori opinio cum Zenonis, Chrysippi, Antipatri nominibus iuncta apparet; id vero quid significet, facile explicari potest: Apollodorus non sua ipsius inventa, sed magnorum illorum Stoicorum decreta nominatim referebat et quasi in epitomen redegit. Inde iam plane patet, quare placitorum scriptores compendium eius adeo adamaverint.

Omnia illa fragmenta cum eandem prae se ferant notam. suspicionem ipsa paene movent cuncta ex eodem fonte sumpta esse, qui fons εἰς ταὶ δόγματα εἰσαγωγαί inscriptus libris fere tribus constaret, quorum singuli a posterioribus modo Ἠθική modo Φυσική, ut a Diogene Laertio, vel Φυσικὴ τέχνη, ut ab Ario Didymo, vel Φυσιολογικὴ εἰσαγωγή, ut a Theone apud Suidam nominabantur. Tres autem eos libros fuisse inde fortasse non iniuria concludi potest, quod Φυσική et Ἠθική ut peculiares libri laudantur, quibus unum etiam librum de dialectica tractantem praemissum fuisse credere consentaneum videtur. Cum tamen singuli libri separatim legerentur et citarentur, factum est, ut totum etiam opus plurali numero εἰς τὰ δόγματα εἰσαγωγαί nominari coepisset.

3. Clitomacheum.

Cicero in *Lucullo* dialogo 32, 102—104 his verbis summam refert libelli cuiusdam a Clitomacho, Carneadis discipulo et Academiae annis fere 127/6—110/9 rectore, de quo consulas Brochard, *Les sceptiques grecs*², Paris. 1923, 186 s.; Goedeckemeyer, *Die Geschichte des griechischen Skeptizismus*, Lipsiae 1905, 92 ss; Vick, *Quaestiones Carneadeae*, diss. Rostoch. 1901, 35 et 40 s; Arnim, RE XI (1921) 655 ss; Krokiewicz Kwartal. Filozof. 7 (1929) 359 ss, conscripti:

„Explicavi paulo ante Clitomacho auctore (supra 31, 98 ss), quo modo ista Carneades diceret; accipe quem ad modum eadem dicantur a Clitomacho in eo libro, quem ad C. Lucilium scripsit poetam, cum scripsisset isdem de rebus ad L.

Censorinum, eum qui consul cum M' Manilio fuit. scripsit igitur his fere verbis — sunt enim mihi nota propterea, quod earum ipsarum rerum, de quibus agimus, prima institutio et quasi disciplina eo libro continetur — sed scriptum est ita:

„Academicis placere esse rerum eius modi dissimilitudines, ut aliae probabiles videantur, aliae contra, id autem non esse satis, cur alia posse percipi dicas, alia non posse, propterea quod multa falsa probabilia sint, nihil autem falsi perceptum et cognitum possit esse, itaque ait vehementer errare eos, qui dicant ab Academia sensus eripi, a quibus numquam dictum sit aut colorem aut saporem aut sonum nullum esse, illud sit disputatum, non inesse in iis propriam, quae nusquam alibi esset, veri et certi notam.

„Quae cum exposuisset, adiungit dupliciter dici adsensus sustinere sapientem, uno modo, cum hoc intellegatur omnino eum rei nulli adsentiri, altero, cum se a respondendo, ut aut adprobet quid aut improbet, sustineat, ut neque neget aliquid neque aiat, id cum ita sit, alterum placere ut numquam adsentiatur, alterum tenere ut sequens probabilitatem, ubicumque haec occurrat aut deficiat, aut *etiam* aut *non* respondere possit. † nec ut † placeat eum, qui de omnibus rebus contineat se ab adsentiendo moveri tamen et agere aliquid, reliquit eiusmodi visa, quibus ad actionem excitemur, item ea, quae interroganti in utramque partem respondere possimus, sequentes tantummodo quod ita visum sit, dum sine adsensu; neque tamen omnia eiusmodi visa adprobari, sed ea quae nulla re impedirentur".

Breviter haec quidem sed accurate satis dicta sunt, quo eius libelli natura et indoles clare cognoscatur. Atque primum verbis: *earum ipsarum rerum... prima institutio et quasi disciplina eo libro continetur* certiores fimus veram hanc fuisse isagogen (ita naturam eius recte descripserunt Susemihl op. l. I 130 et Plasberg in indice editionis suae *Academicorum* [Teubner 1922] s. v. *Clitomachus*), quae fortasse εἰσαγωγὴ τῆς Ἀκαδημαϊκῆς φιλοσοφίας πρὸς Λουκίλιον inscripta erat. Ceterum ex reliquis etiam Ciceronis verbis plane patet continuisse illum librum ea Academicorum placita, quae maximi ad cognitionem humanam aestimandam et ad vitam ad eam conformandam essent momenti. Idem liber, cum C.

Lucilio, poetae Romano, destinatus fuerit, nullo modo philosophorum argutiis et subtilitate nimia oneratus, sed potius gravissima doctrinae Academicae capita clare breviterque explicata continuisse putandus est. Quam ob rem Cicero etiam in *Academicis* conscribendis libenter eo usus esse videtur, licet difficile sit alias quasdam certas eius operis partes ad illum fontem referre, ut id in dissertatione *de Ciceronis Academicis*, Leopoli 1937 p. 48 ostendere conati sumus.

Argumentum eius libri, quantum a Cicerone nobis relatum est, commode in duas partes dividitur, ab auctore ipso distinctas verbis: *quae cum exposuisset, adiungit eqs.* Pars prior de cognitione humana aestimanda agit, posterior de sapiente. Ipsa hic paene venit in mentem N o r d e n i i sagacissima disputatio annalibus q. i. Hermes 40, 1905, 481—528 inclusa, qua ille affirmavit libros isagogicos saepissime ita dispositos fuisse, ut caput de arte ipsa, de qua sermo esset, alterum de artifice exciperet. Haud scio, utrum hac ratione Clitomachei libelli divisio explicanda sit, an potius ad communem morem eius temporis philosophorum referenda, quibus praeter ipsa merae doctrinae fundamenta praecepta etiam, quae ex iisdem ad mores conformandos sequerentur, semper curae erant. Simili quidem modo etiam Epicurus epistulam *ad Menoeceum*, qua totius doctrinae suae summam breviter comprehendit, divisit (§§ 123—132 a doctrinae expositio, §§ 132 b—134 vitae agendae praecepta).

Hac igitur re ut incerta in medio relicta ad alteram pergo, quae non est indigna, quae hic illustretur. Si enim argumentum libelli huius ad Lucilium isagogici cum excerptis ab eodem Cicerone ex altero Clitomachi libro, περὶ ἐποχῆς inscripto, factis (*de sustinendis assensionibus libri IV*, cf. *Luc.* 31, 98) comparatur, primo iam obtutu clarum fit nullam argumenti differentiam inter utrumque opus intercessisse, sed easdem sententias in isagoga succinctius et brevius, in libris περὶ ἐποχῆς fusius et subtilius explicatas esse. Eadem res etiam in Chrysippi isagogis nobis occurrit, quippe quae paucis eadem comprehenderint, quae alibi ab eodem auctore pluribus libris explicata et tractata sunt, ut id in libris de ψευδομένῳ sophismate agentibus videri potest (St. Vet. Frgg II 7,34 ss):

1. περὶ τῆς εἰς τὸν ψ-ον εἰσαγωγῆς πρὸς τὸν Ἀριστοκρέοντα $\overline{\alpha}$
2. λόγοι ψ-οι πρὸς εἰσαγωγήν $\overline{\alpha}$

3. περὶ τοῦ ψ-ου πρὸς Ἀριστοκρέοντα $\overline{\alpha}$ $\overline{\beta}$ $\overline{\gamma}$ $\overline{\delta}$ $\overline{\varepsilon}$ $\overline{\varsigma}$

4. πρὸς τοὺς διὰ τομῆς διαλύοντας τὸν ψ-ον λόγον πρὸς Ἀριστοκρέοντα $\overline{\alpha}$ $\overline{\beta}$

5. περὶ τῆς τοῦ ψ-ου λύσεως πρὸς Ἀριστοκρέοντα $\overline{\alpha}$ $\overline{\beta}$ $\overline{\gamma}$

6. πρὸς τοὺς λέγοντας τὰ λήμματα ἔχειν ψευδῆ τὸν ψ-ον λόγον $\overline{\alpha}$.

Conferas etiam velim indicem Chrysippi librorum ad artem syllogisticam pertinentium, ib. 6,33—7,20.

A veritate fortasse non multum aberrabimus, si coniecerimus Clitomachum ea de causa librum illum isagogicum Lucilio dedicavisse, ut Romanis Academicae philosophiae fautoribus argumenta suppeditaret, quibus contra Stoicos pugnare possent. Id enim memoria nostra excedere non debet, quod eodem tempore Romae floruit Panaetius, vir Scipioni, Laelio aliisque nobilibus Romanis amicissimus, cuius auctoritas certe ad Academicam philosophandi rationem in animis Romanorum labefactandam multum valuit, cf. Sinko, *Lit. gr.* II 1, 76 s. Huic igitur adversario ut absens etiam obsisteret, Clitomachus librum suum ad Lucilium, eum quoque Scipionis necessarium, misit. Id vero eo probabilius videtur, quod Clitomachus in libro suo ei rei aperte operam dedit, ut argumenta e *vitae eversione*, ut dicit Cicero, quibus recentiores praesertim Stoici Academiam impugnare soliti erant, irrita ostenderet demonstraretque eum etiam, qui Academicam philosophiam amplexus esset, iudicare et agere posse.

Absentes amicos per litteras cohortandi ratio non erat a consuetudine Academiae rectorum aliena. Norant enim antiqui epistulas quasdam Carneadis ad Ariaraten, Cappadocorum regem (162—130 a. Chr.), discipulum eius, datas (DL praef. 16 et IV 65, de Ariarate cf. Christ. *Gesch. d. gr. Lit.* II 1. 1910. 43 n. 7; 44). Fortasse etiam quae de epistulis Arcesilae ad Eudemum I, Pergami regem (263—241), feruntur apud DL IV 38 non sunt omnino fide indigna (cf. Wilamowitz, *Antigonos von Karystos*, Berol. 1881, 39). Postquam vero summa imperii in orbe terrarum a regibus Orientis Graeci ad Romanos transiit, ad eosdem etiam philosophi sese conferre coeperunt, ut Clitomachus in libello ad Lucilium isagogico vel idem aliquantum prius ad L. Censorinum (cos. 149, cens. 147), cf. Cicero ib. 103.

Lublini

DE LUCANO TROIAE PERIEGETA OBSERVATIONES

Scripsit
BRONISLAUS BILIŃSKI

Θάρσει· Καίσαρα γὰρ ἄγεις
Cassius Dio XLI 46.

Carmina poetarum Graecorum epica cum inde ab Homero notitiis geographicis aspersa esse constet et praecipue Alexandrinae, quae vocatur, aetatis opera poetica doctrina, quae ad geographiam spectat, uberrime exornata esse pateat[1], non est quod miremur Romanorum quoque poemata nominibus geographicis creberrime intertexta ipsis imperii finibus dilatatis variarum terrarum et gentium descriptionibus nonnumquam luxuriari[2]. Iuxta Vergilii, Valerii Flacci, Silii, Statii carmina epica etiam Lucani *Pharsalia*, qua res in diversis terrarum partibus gestae enarrantur, notitiis geographicis aperte scatet[3]. Quamvis doctrinae geographicae hoc in opere expressae permulti iam viri docti operam navaverint[4], plurima inexplorata latere video atque eis, quae iam examinata sunt, rectiora quaedam afferri posse arbitror.

---

[1] Delage, *La géographie dans les Argonautiques d'Apollonios de Rhodes*, Bibl. des Universités du Midi fasc. XIX, Burdigalae-Paris. 1930 p. 281 ss.

[2] Canesi. *La produzione geografica latina e gli influssi letterari*, Historia 1931 p. 336 s., Rehm, *Das geographische Bild d. alten Italien in Vergils Aeneis*, Philol. Suppl. XXIV 2 p. 84 ss, Kroll. *Stud. zum Verständnis d. röm. Literatur*, Stutg. 1924 p. 293 ss.

[3] Quo Lucani exquisita doctrina geographica evidentius appareat descriptionum geographicarum, quae *Pharsaliae* libris continentur, conspectum ante oculos proponam: I 392—465 (Galliae populorum catalogus), II 396—438 (Apennini descriptio). II 610—627 (Brundisii situs delineatur), III 169—297 (expositio auxiliorum Pompeio missorum), IV 11—23 (Ilerdae descriptio), IV 666—693 (gentium Libyae recensio). V 71—85 (Delphis oraculum enarratur), VI 333—412 (Thessaliae descriptio), IX 294—586 (Catonis per deserta iter depingitur, in quo Syrtes, Tritonis, Ammonis oraculum describuntur), X 193—331 (de Nilo quaestio evolvitur).

[4] Diels, *Seneca u. Lucan*, Abhandl. Berl. Akad. 1885 III p. 7 ss, Hosius, *Lucanus u. Seneca*, Jahrb. f. class. Philol. 145, 1892 p. 337 ss, Pinter, *Lucanus in tradendis rebus geographicis quibus usus sit auc-*

Inter ea Troiae descriptio l. IX 950—979 inclusa acriore ac subtiliore iudicio caret et peculiare studium exspectat. Ex his enim Lucani versibus in quaestione, quae in vetere Troia Homerica collocanda versatur, praepropera et parum perpensa ratiocinatione minus accurata quaedam, quae ad eius situm pertineant, colliguntur et Lucani delineationi fides, quod quidem raro fit. vel tribuitur [5] vel ut poeticis prorsus derogatur (cf. Schliemann, *Ilios,* Lips. 1881 p. 233, quem permulti viri docti sunt secuti).

Quae cum ita sint, est operae pretium, ut in hanc *Pharsaliae* partem inquiramus et singulis excussis quomodo et quibus e fontibus Troadis descriptio composita sit in apricum educamus. His demum cognitis diiudicari posse opinor, utrum vera vel poetae oculis lustrata [6] vel e fonte periegetico delibata Troiae descriptio an animo ac mente concepta et ficticiis more poetarum coloribus rhetoricis depicta regionis imago [7] operi inserta sit. Quaestionem igitur, ut rem breviter complectar, in eo poni liquido claret, utrum Lucanus

toribus, diss. Monast. Guestf. 1902, Bäumer, *De Posidonio, Megasthene, Apollodoro M. Annaei Lucani auctoribus,* diss. Monast. Guestf. 1902, Pichon, *Les sources de Lucain,* Paris. 1912, Bourgery, *La géographie dans Lucain,* Rev. de phil. 1928 pp 25—40, Wuensch, *Lucan-Interpretationen,* diss. Kil. 1931 p. 33 ss, 59 ss, Kowalski, *Quaestiones hydrographicae,* Acad. Polon. Litter. LXIV 1, Cracoviae 1934 p. 14 ss. 201. 213 s., Eichberger, *Untersuchungen zu Lucan, Der Nilabschnitt im zehnten Buch d. bellum civile,* diss. Tubing. 1933, van Brusselen, *La géographie de l'Europe et de l'Asie dans la Pharsale de Lucain.* Thèse de licence. Univ. Louvain 1934-35, cf. Rev. Belge de phil. et d'histoire 1936 p. 769, Pucci, *La geografia di Lucano,* Panormi 1938, Samse, *Lukans Exkurs über Gallien (I 396—465),* Rh. Mus. 1939 p. 14 ss, *Lukans Exkurs über Apenninen (II 396—438),* ibid. 1940 p. 295 ss (Eckart, *Exkurse u. Ekphraseis bei Lucan,* diss. Heidelb. 1936).

[5] Friedlaender, *Sittengesch. Roms* [9], Lips. 1919 p. 419, Vellay, *Controverses autour de Troie,* Paris. 1936 cap. VI.

[6] Friedlaender l. l., Ribbeck (*Gesch. d. röm. Dicht.* III p. 123), Schanz (*Gesch. d. röm. Lit.*[3] II 2 (1913) p. 106) poetam, quae ipse in Troadis peregrinatione percepisset, in descriptionem contulisse opinantur; cf. Vitelli, *Sulla composizione e pubblicazione della Farsaglia,* Studi ital. 1900 p. 68.

[7] Steitz, *Die Lage d. homer. Troia,* Jahrb. f. class. Philol. 1875 p. 233 adn. 7, Norden, *Vergils Äneis im Lichte ihrer Zeit,* N. Jahrbüch. f. klass. Altert. 1901 p. 259. Schulten, *Die historische Topographie,* ibid. 1916 p. 136; cf. Geissler, *Ad descriptionum historiam symbolae,* diss. Lips. 1916.

Troiae topographiam[8] an topothesiae specimen obtulerit[9]. Itaque descriptioni enucleandae peculiari cura accinctus singula rimanda esse censeo, ut aliis in comparationem vocatis quanti Troiae expositio a Lucano tradita aestimanda sit statuam et de indole eius atque auctoritate sententiam feram[10].

His concise praefatis ipsum poetam intueamur. Caesar victoria ad Pharsalum parta concitatus nulla mora intermissa Pompeium, qui per Larissam, Amphipolin, Mytilenen Aegyptum petit, fugientem insecutus ad Hellespontum venit atque eo traiecto in Asiam transit[11], ubi quasi Pompei persequendi oblitus Troiae loca memorabilia apud Lucanum diligenter percontatur. Haec eius in Troade commoratio neque

---

[8] Cf. topographicas Massiliae III 375 ss, Ilerdae IV 11 ss, Dyrrhachii VI 14 ss delineationes apud Lucanum obvias.

[9] Lact. in Stat. *Theb.* II 32 *...haec topothesia dicitur, id est fictus locus secundum poeticam licentiam; nam in eiusmodi descriptione, ubi veri loci facies demonstratur, topographia dicitur, ubi fictum quid velit, topothesia* (Serv. *Aen.* I 159, Rhet. Lat. Min. p. 73); cf. Schnayder, *De regionum descriptionibus Horatianis*, Charisteria Casim. Morawski, Cracoviae 1922 p. 251 ss, *De portus Libyci descriptione Vergiliana*, Comment. Vergilianae, Cracoviae 1930 p. 40 ss.

[10] Sed rem propter perplexam fontium materiam satis arduam me temptare vix est quod moneam. Rerum gestarum scriptores, geographos, periegetas, qui separatis operibus Troadis regionem tractaverunt (Müller, *FHG* IV index titulorum p. 687), iniuriam temporum passos esse constat et quod Polemonis excellentissimum tribus libris comprehensum opus περιήγησις Ἰλίου inscriptum perexiguis fragmentis exceptis periit maxime est dolendum (Preller, *Polemonis periegetae fragmenta*, Lips. 1838, *FHG* III 108 M., Schnayder, *Periegeza w literaturze greckiej*, Acad. Polon. Litter., Arch. philol. 19, Cracoviae 1946 p. 9 s., Sinko, *Literatura grecka* II 1, Cracoviae 1947 p. 108, Bischoff, RE XIX col. 729 s. v. *Periegel*). Nunc praeter Homeri carmina item gravissimis dubiis obnoxia et Strabonis *geographicorum* l. XIII et dissipata diversorum scriptorum fragmenta plurima quidem sed parum fida, pauca indagationis exstant certa adiumenta, quibus Lucani descriptionem frutiner. Quod autem non Homericae, sed posterioris aetatis fata Troadis in examen venient ad recentioris aevi Lucano proximos scriptores recurrendum nobis erit.

[11] Caes. *b. c.* III 105 s. c. comm. (Kraner—Hofmann—Meusel), App. *b. c.* II 89, 373; Niese, *Grundr. d. röm. Gesch.*[3], Monach. 1923 p. 248. Drumann—Groebe, *Gesch. Roms* III p. 470. Meyer. *Caes. Monarchie u. Principat d. Pomp.* p. 505. Gelzer, *Julius Caesar*, Monach. 1940 p. 251.

ab eo ipso *b. c.* III 105 neque ab aliis Sidonio Appollinari *epist.* III 12, 6 fortasse excepto commemorata e Livio in Lucani carmen translata esse videtur (Norden p. 259). Quae enim apud rerum gestarum scriptores, qui nunc exstant, desiderantur et apud Lucanum leguntur, Livii libris deperditis deberi veri est simillimum, quia poetam quadamtenus fidelem eius sectatorem fuisse pro explorato habetur [12]. Caesaris igitur Troiae, ex qua Romani Aenea orti et gentis Iuliae auctor venerabilis Iulus originem ducebant, statio et sollemnia sacrificia e Livio probabiliter cognita cum postea illius erga Ilienses beneficia et in urbe et templis restaurandis cura, cum etiam caput imperii hic transferre cogitavisset, maxime innotuerint [13], a Lucano prolixis versibus evolvuntur. Itaque occasione oblata poeta ad exemplum Alexandri Magni, quod infra uberius demonstrabo, Caesarem Troiam et eius vicina lustrantem introduxit et incolam monstratorem (v. 976. 978), qui officiis περιηγητοῦ et ἐξηγητοῦ, quibus loca Graeciae illustria referta fuisse compertum est [14], fungitur, singula explicantem finxit [15]. Illo igitur sub finem descriptio-

[12] Baier, *De Livio Lucani in carm. de bello civili auctore*, diss. Wratisl. 1874, Ussani, *Sul valore storico del poema Lucaneo*, Romae 1903, Duff, *A Literary History of Rome in the Silver Age* p. 320, Wuensch, *Lucan-Interpretationen* p. 6 ss.

[13] Strab. XIII 594 ὁ δὲ Καῖσαρ καὶ φιλαλέξανδρος ὢν καὶ τῆς πρὸς τοὺς Ἰλιέας συγγενείας γνωριμώτερα ἔχων τεκμήρια, ἐπερρώσθη πρὸς τὴν εὐεργεσίαν νεανικῶς· γνωριμώτερα δέ, πρῶτον μὲν ὅτι Ῥωμαῖος, οἱ δὲ Ῥωμαῖοι τὸν Αἰνείαν ἀρχηγέτην ἡγοῦνται, ἔπειτα ὅτι Ἰούλιος ἀπὸ Ἰούλου τινὸς τῶν προγόνων... χώραν τε δὴ προσένειμεν αὐτοῖς καὶ τὴν ἐλευθερίαν καὶ τὴν ἀλειτουργησίαν αὐτοῖς συνεφύλαξε καὶ μέχρι νῦν συμμένουσι ἐν τούτοις: cf. Brückner ap. Dörpfeldium, *Troja u. Ilion* II p. 589, Hauhold, *De rebus Iliensium*, diss. Lips. 1888 p. 38 ss, Ruge, RE VII A col. 543 s. v. *Troas*.

[14] Friedlaender p. 451 s., Kalkmann, *Pausanias d. Periget*, Berol. 1886 p. 45, Bischoff, RE XIX col. 726, Schnayder, *Periegeza w literaturze greckiej* p. 8, *Podróże i turystyka w starożytności*, Cracoviae 1947 p. 66.

[15] Qui modus regiones in carminibus describendi, ut ab indigenis res ac fabulae regionis referantur et ipsa regio monstretur, saepius apud poetas usurpari videtur: apud Vergilium Euander situm Romae futurae Aeneae ostendit (VIII 306 ss), Silius Hannibalem repraesentat, [illegible] singula Capuae monumenta (*Pun.* XI 238 ss) et Campaniae miracula (XII 113 ss) ipsis primoribus circumducentibus demiratur. In *Pharsalia* quoque Antaei regna et Herculis cum Antaeo certamen (IV 589 ss) ab incola enarrantur et de Nilo quaestio a sacerdote Acoreo (X 194 ss) evolvitur (cf. Herod. VII 197).

nis sphragidis cuiusdam, ut ita dicam, loco monstratore nuncupato totius descriptionis indoles atque natura aperto testimonio indicatur. Non tam Caesarem a periegeta edoctum esse quam poetam ipsum periegeseos quodam compendio instructum Troiae descriptionem compilasse necesse est coniciamus. Cum enim litora (961—963), oppidi vestigia (964—969), agri Troiani loca memorabilia (970—979) solito periegeseos et chorographiae in epitomes formam redactae ordine proponantur periegeticam illius descriptionis compositionem primus Georgius Kowalski egregie animadvertit et in transcursu brevissime adumbravit (*Quaestiones hydrographicae*, Acad. Polon. Litter. LXIV 1, Cracoviae 1934 p. 177 adn. 1), cuius nunc sententiam novis argumentis ex accuratiore descriptionis inquisitione tractis ditare et firmioribus adminiculis munire pergimus.

Priusquam Caesare comite in ipsam Troadem veniam. de Hellesponto, quo Troiae descriptio ratione geographica respecta aperiri videtur (954—960), ut pauca commoneam ipsa re postulatur. Ac primum ipso eius epitheto, cum *Threiciarum faucium* appellatione[16], qua Bosporus Thracius vulgo distinguitur, exornetur adducimur, ut iam inquisitionis initio, praesertim cum de latitudine statim intricatior quaestio subsequatur, de Hellesponti cum Bosporo confusione cogitemus. Lucanus enim, quod in Hellesponto Asiam et Europam tenuissimo solum maris meatu divisas proxime ad se accedere contendit (II 674 ss. VI 55), Bospori Thracii angustiis largius eius opinione patentibus Hellesponti latitudinem contraposuit, quam Bosporo arctiorem esse censuit[17]. Mensuras tamen utriusque freti diligentius comparanti parum

[16] *M. Annaei Lucani Cordubensis Pharsalia...* curante Fr. Oudendorpio, Lugd. Batav. 1728 p. 754, *M. Annaei Lucani Pharsalia* c. comment. P. Burmanni, Leidae 1740 p. 628, *M. Annaei Lucani Pharsalia* c. comment. ed. C. M. Francken, Lugd. Batav. 1896 p. 212, *M. Annaei Lucani belli civilis l. X* ed. A. F. Housman, Oxon. 1927 p. 295; cf. *Adnotat. super Lucan.* IX 958, *Comm. Bern.* ad l. l.

[17] Gillius, *De Bosporo Thracio* I 3 (*GGM II* p. 13 M.): *De Bospori latitudine: Has utriusque angustias fune mensus essem, nisi suspiciosi accolae me deterruissent. Sed tamen quantum oculis iudicare poteram, mihi videbantur eadem fere latitudine, dimidio quidem arctiores quam Hellesponti, tametsi Lucanus Hellespontias aut arctiores aut non minus arctas designare videtur his versibus:*

accurata primo obtutu Lucani sententia evenit[18], quia Bospori variis litorum flexibus dilatata vel coartata latitudo angustissimo loco IV vel V stadiis solum computatur[19], Hellesponti autem spatium VII stadiorum numero comprehenditur[20]. Latitudinis mensuras permutatas esse facile conici potest. Attamen, ne sicut alii commentatores temerarius poetae iudex sim, animadvertendum puto de spatio, quod inter Byzantion et Chalcedona iacet, diverse a geographis computato, apud Lucanum verba fieri. In ostiis enim Bospori, ubi latius iam mare expanditur, haec oppida sita erant et quamquam a Plinio *n. h.* V 149 tralaticio numero septenario usurpato VII stadiis distare dicuntur, tabula geographica inspecta maiore intervallo disiuncta esse manifestum est[21]. Itaque Polybius IV 39, 3 Bospori inter haec oppida fretum XIV stadiis patere tradit: Βόσπορος Θράκιος... ἄρχει δὲ τοῦ στόματος ἀπὸ μὲν τῆς Προποντίδος τὸ κατὰ Καλχηδόνα διάστημα καὶ Βυζάντιον, ὃ δεκατεττάρων ἐστὶ σταδίων...[22]. Lucanus igitur, cum in Hellesponti latitudine cum Bosporo comparanda spatia inter Sestum et Abydum porrecta eis, quibus Byzantion ab Chalcedone abest, opposuerit, optimis ut videtur notitiis geographicis adiutus oppida in Hellesponto sita iure arctiore freto disterminata esse observavit.

Praeter freti latitudinem etiam insolito Chalcedonis epitheto dubitatio movetur: IX 959... *Byzantion arto Pontus et ostriferam dirimat Chalcedona cursu...*, quia de Chalce-

non Asiam brevioris aquae disterminat usquam
fluctus ab Europa, quamvis Byzantion arto
Pontus et ostriferam dirimat Calchedona cursu...

[18] Pinter, *Lucanus in tradendis rebus geographicis quibus usus sit auctoribus* p. 9.

[19] Apud Herod. IV 85. Strab. II 125, Plin. *n. h.* IV 76. V 150 (D p.). Philostr. *Imag.* 12 p. 389, Dion. Byz. 3, 57, Eustath. *in Dion. Per.* 142 quattuor stadia exhibentur, a Polyb. IV 43, 2, Strab. VII 319, Mela I 101 quinque traduntur; cf. Oberhummer, RE III col. 743 s. v. *Bosporos.*

[20] Herod VII 34, Strab. II 124. XIII 591. Plin. IV 49. V 141, Agathem. II 14; cf. Leaf, *Troy, A Study in Homeric Geography*, Lond. 1912 p. 368 ss, Bürchner, RE VIII col. 185 s. v. *Hellespontos.*

[21] Kiepert, *FOA* tab. XVII, Oberhummer col. 750.

[22] In schol. *in Dion. Perieg.* 142 stadia XII leguntur, in *Itin. Anton.* 139, 1 IIII m. p. exhibentur; Gillius l. l. *...at enim, quantum oculis aestimare potui euripus intercedens inter Chalcedonem et Byzantium non attinet duodeviginti stadia* (cf. Strab. VII 310).

donis ostreis nusquam auditur. In contrario autem Hellesponti Abydos propter exquisitarum in eius regione ostrearum multitudinem iam ab Ennio (*hedyph.* 35 *asperaque ostrea plurima Abydi* — Archestr. ap. Athen. III 92 d) laudatur et eodem epitheto exornata etiam apud Vergilium prodit: *georg.* I 207 *...ostriferi fauces temptantur Abydi*[23]. Epitheton igitur Abydi a Lucano poetica ratione in Chalcedona translatum esse veri est simillimum.

Ostiorum mentione, quibus Maris Euxini aquae in Propontida effunduntur: *Euxinumque ferens parvo ruat ore Propontis* Bospori descriptio explicit. Cum rapidus freti decursus dilucidis verbis a poeta prematur iterum Lucanum accuratiorem geographum deprehendimus, quia Bospori aquarum violentia plurimis testimoniis probatur (Herod. IV 85. Polyb. IV 39, 2. Strab. I 55. VII 320. Gillius I 4)[24]. Eadem natura etiam Hellesponti fretum praeditum esse inde ab Homero constat (Bürchner, RE VIII col. 190 s. v. *Hellespontos*).

Nunc omnibus, quae de Hellesponto disputavi, in unum congestis descriptionem eius genuinis notitiis geographicis in usum accitis etiam poeticis, quae de Helle et de Herus et Leandri amore sunt[25], tinctam turbata quadamtenus et poetica ratione a Lucano confectam esse luculenter patet. Ipsam tamen utriusque freti comparationem fontem geographicum redolere e Polybii testimonio XVI 29 conicio, ubi Hellesponti

---

[23] Cf. Catull. frg 1, 4. Plin. *n. h.* XXXII 62. *Priap.* 76, 13. Locus Bospori Ὀστρεώδης a Dionysio 37 refertur.

[24] Wharton, *Report on the Currents of the Dardanelles and the Bosporus,* Proceedings of the Royal Society XXI 1886 (Petermanns Mitteil. 1887), *Sailing Directions for Dardanelles, Sea of Marmara, Bosporus,* 1893 p. 22.

[25] Quae θρυλουμένοις adnumeranda de Herus et Leandri amore leguntur poetica spirare videntur. Herus tamen turrium mentionem, in qua periegeticam quandam notitiam latere suspicor, cum Strabonis testimonio composuerim: XIII 591 διὸ καὶ εὐπετέστερον ἐκ τῆς Σηστοῦ διαίρουσι παραλεξάμενοι μικρὸν ἐπὶ τὸν τῆς Ἡροῦς πύργον... τοῖς δ' ἐξ Ἀβύδου περαιουμένοις παραλεκτέον ἐστὶν εἰς τἀναντία ὀκτώ που σταδίους ἐπὶ πύργον τινὰ κατ' ἀντικρὺ τῆς Σηστοῦ.., ubi in utroque litore turres ad Sestum et Abydum sitae distinguuntur (Leaf, *Troy,* Appendix E: *Strabo on the passage between Abydos and Sestos*); cf. Horat. *epist.* 1, 3, 4 c. comm. Porphyrionis et Ps. Acronis, Ovid. *epist.* 18. 19, nummos, in quibus turris imago excuditur, Baumeister II p. 962.

cum freto Gaditano comparatio peragitur[26]. Ex hac igitur Polybiana collatione similes comparatas fretorum enarrationes operibus geographicis insertas fuisse probabilis sequitur coniectura. Siquidem autem in Hellesponto versamur, Romanorum quoque scriptores geographicos Polybianis copiis usos peculiari studio Mari Euxino describendo incubuisse necesse est adiciamus, cum Varronem, Sallustium, Agrippam, ut e fragmentis elucet, de Ponti regionibus uberrime tractavisse acceperimus[27].

Geographica igitur Hellesponti descriptionis, quae apud Lucanum legitur, indole patefacta Caesarem secuti in ipsam Troadem deferamur, cuius primum litora leguntur:

Sigeasque petit famae mirator harenas
et Simoentis aquas et Graio nobile busto
Rhoetion et multum debentis vatibus umbras.

Enumerantur igitur promunturii Sigei litora harenis obruta, fluminis Simoentis ostia, Rhoeteum tumulo Aiacis illustre promunturium, sepulcra heroum a poetis celebrata. Situ autem locorum perspecto et Strabone, Mela, Plinio in comparationem vocatis dubitari nequit, quin ordine peripli geographico loca sint prolata: ex occidente inde a Sigeo promunturio initio sumpto usque ad Rhoeteum in orientem versus litora Troadis praeternavigantur. Apud Melam et Plinium, qui a meridie in septentriones directi Asiae, quae vocatur. Minoris litora accuratius, ut geographos decet, enarrabant eodem atque apud Lucanum fit ordine loca Troadis maritima relata esse facile cognoscitur: I 93 s. *...hic Sigeum fuit oppidum, hic Achivorum fuit bellantium statio. huc ab Idaeo monte demissus Scamander exit et Simois... extra sinum sunt Rhoetea litora, Rhoeteo et Dardania claris urbibus, Aiacis tamen sepulcro maxime inlustria; n. h.* V 124 *Troadis primus locus Hamaxitus... oppidum Nee,*

[26] Tozer, *History of Ancient Geography*, 2 ed. Cary, Cantabrig. 1935 p. 214 s.

[27]) Mirsch, *De M. T. Varronis Antiquitatum rer. human. libris* XXV, Leipz. Stud. 1882 p. 115, *C. Sallustii Crispi Historiarum reliquiae* ed. Maurenbrecher fasc. II p. 134 ss, Klotz, *Die geogr. comment. d. Agrippa*, Klio 1931 frg 19 p. 419, Rostowcew, *Skythien u. d. Bosporos*, Berol. 1931 p. 41 ss.

Scamander amnis navigabilis et in promunturio quondam Sigeum oppidum; dein portus Achaeorum, in quem influit Xanthus Simoenti iunctus... MMD p. remotum a portu Ilium immune... extra sinum sunt Rhoetea litora... Eadem inverso tamen agmine recensentur a Strabone, qui periplum Artemidoreum ordine mutato in usum suum convertit (Daebritz, *De Artemidoro Strabonis auctore capita tria*, diss. Lips. 1903 p. 27 s.): XIII 595 εἶτα Ῥοίτειον πόλις ἐπὶ λόφῳ κειμένη καὶ τῷ Ῥοιτείῳ συνεχὴς ἠὼν ἀλιτενής, ἐφ' ᾗ μνῆμα καὶ ἱερὸν Αἴαντος καὶ ἀνδριάς... μετὰ δὲ τὸ Ῥοίτειον ἔστι τὸ Σίγειον, κατεσπασμένη πόλις... καὶ ἡ στομαλίμνη καλουμένη καὶ αἱ τοῦ Σκαμάνδρου ἐκβολαί. His igitur geographorum testimoniis prolatis merum periplum geographicum ab occasu in orientem versus ductum apud Lucanum expressum esse patet.

Caesari tamen, cum Hellesponto superato ex Abydi regione Troiae adpropinquasset, Rhoeteum primum obvenisse claret eoque promunturio periplum Troadis Lucano aperiendum fuisse ipsa ratione geographica declaratur. Si tamen inversi ordinis et Caesaris itinerario prorsus contrariam litorum recensionem, in qua Lucanus cum geographis congruit, reperimus e quadam Troadis periegesi geographico more instituta periplum esse a Lucano depromptum in propatulo est coniectura.

Geographica peripli origine, quam iam in Hellesponti descriptione detexi, adumbrata nunc singula diligentius perscrutabor. Ac primum Sigei promunturii harenae Scamandro flumine invectae explicentur. Cum fluminum Troadis cursus et alveos temporibus procedentibus variis mutationibus subiectos esse e planitiei Troianae natura accuratius exquirenda pateat[28], Scamandri et Simoentis ostia, quibus haec flumina in mare exissent, in alia atque apud Homerum describuntur loca postea detorta esse firmis argumentis demonstratur. Vetus enim Scamandri in Iliade descriptus alveus statione Achaeorum in septentrionibus, in

[28] Virchow, *Beiträge zur Landeskunde der Troas*, Abh. Berl. Akad. 1879 p. 120 ss, Diller, *Notes on the Geology of the Troade*, Quart. Journ. of Geological Society, Lond. 1883 p. 627 ss, Forchhammer, *Erklärung der Ilias*, Kil. 1884 p. 13 ss, Schliemann p. 93 ss, Dörpfeld, *Troja u. Ilion* II p. 617 ss, Leaf, *Troy, A Study in Homeric Geography*, Lond. 1912 p. 29 ss, 384 ss.

Hellesponti freto, positis [29] vel in parte planitiei Troianae, qua in orientem spectat, indicatur vel castris Graecorum in occasu, in sinu, qui hod. Besika appellatur, collocatis magis in occidentem, submovetur [30]. Ostia quoque Scamandri aetate carminum Homeri probabiliter ad Rhoeteum promunturium sita postea in occidentem versus magis magisque transferebantur ita, ut Romanis temporibus iam in Sigei regione Scamandrum aquas in mare effudisse apud geographos. quos supra laudavi, traditum inveniamus [31]. His aliud descriptionis Strabonianae frustulum adgerere placet: Strab. XIII 597 οἱ δὲ ποταμοὶ ὅ τε Σκάμανδρος καὶ ὁ Σιμόεις, ὁ μὲν τῷ Σιγείῳ πλησιάσας, ὁ δὲ τῷ Ῥοιτείῳ, μικρὸν ἔμπροσθεν τοῦ νῦν Ἰλίου συμβάλλουσιν, εἶτ' ἐπὶ τὸ Σίγειον ἐκδιδόασι καὶ ποιοῦσι τὴν στομαλίμνην καλουμένην... (cf. 598) [32].

Ostiis igitur Scamandri in Sigei regionem translatis ingentem limi molem eius decursu in mare devolutum esse, ex quo in ora Sigeo adiacenti pulvinos et harenosos tumulos

[29] Dörpfeld usque ad 1924 a. Schliemannii vestigia pressit: *Troja u. Ilion* II p. 615 s., 619, Leaf, *Troy* p. 44 (tabula geographica), Scyk, *Das wahre u. richtige Troja-Ilion*, Pragae 1926, Vellay, *Les nouveaux aspects de la question de Troie*, Paris. 1930 (cf. L'Acropole 1927 p. 161—207, 1928 p. 5—48), *Controverses autour de Troie*, Paris. 1936 (cf. Bulas, Kwart. Klas. 1929 III p. 81 s., Eos 1937 p. 256 ss).

[30] Dörpfeld, *Das Schiffslager der Griechen vor Troja*, Stud. zur vorgesch. Archäol. A. Götze dargebr., Lips. 1924 p. 115—121, Mey. *Das Schlachtfeld vor Troja*, Berol.-Lips. 1926 p. 10 ss. Rüter, *Zeit u. Heimat d. homer. Epen*, Berol. 1937 p. 29 ss (cf. Vellay, *La dernière bataille de Bésika*, Rev. Etud. Hom. 1934 p. 55—101).

[31] Limpricht, *Die Strasse der Dardanellen*, diss. Wratisl. 1892 p. 55, Leaf, *Troy*, Appendix A: *Ancient evidence as to the course of the Scamander* p. 384 ss, Dörpfeld, *Troja u. Ilion* II p. 617, Sprattii-Forchhammeri tabula Troadis geographica operi Forchhammeri inserta, Bürchner, RE III A col. 430 s. v. *Skamandros* (Schliemann, tab. geogr., quae Gravesii-Sprattii-Burnoufii curis confecta operi q. i. *Ilios* adnectitur).

[32] Strabo, qui in Troade describenda Demetrium II a. Ch. n. saeculi scriptorem sequitur, permultas suae aetatis notitias descriptioni immiscuit (Leaf, *Strabo and Demetrios of Skepsis*, Annual of the Brit. School at Athens XXII p. 30 s., *Strabo on the Troad, Book XIII*, Cantabrig. 1923 p. XXVII—XLVII, Gaede, *Demetrii Scepsii quae supersunt*, diss. Gryphisw. 1880 p. 13 ss, Honigmann, RE IV A col. 146 s. v. *Strabon*).

effectos esse idem Strabo docet et viri docti recentiores confirmant: XIII 595 συμπεσόντες γὰρ ὅ τε Σιμόεις καὶ ὁ Σκάμανδρος ἐν τῷ πεδίῳ πολλὴν καταφέροντες ἰλὺν προσχοῦσι τὴν παραλίαν καὶ τυφλὸν στόμα τε καὶ λιμνοθαλάττας καὶ ἕλη ποιοῦσι (Spratt-Forchhammer, tab. geographica; cf. Schliemann, *Ilios*, tab. geogr.).

Quae cum ita sint nomine fluminis, quod rarissime apud poetas Romanos comparet (Enn. frg sc. 185. Catull. 64, 357. Prop. III 1, 27 e coniect. Wolffii. Hor. *ep.* 13, 14) praetermisso Sigei promunturii harenis Scamandro flumine invectis ostia eius maritima in Sigei regione sita poetica ratione expressa esse contendo. Simili igitur modo atque apud alios eiusdem aetatis geographos etiam in Lucani Troadis periplo Scamandrum ad Sigeum in mare exisse perspicuum est[33].

Praeter Lucani cum geographis, quod ad ostia Scamandri maritima spectat, consensum e harenarum fluviis invectarum mentione poetam de litorum Troadis natura optime edoctum esse video et doctrinae a Demetrio Scepsio, qui fluminum alluvione litora Troadis longius in mare provecta esse opinionem protulit[34], apud Strabonem expositae vestigium in Lucani descriptione odoror. Itaque fontem eius geographicum quadamtenus Demetrianis aspersum esse iam nunc praenuntio.

Sigeo promunturio praeternavigato in orientem versus litora legentes ad Simoentis, ut videtur, ostia maritima pervenimus mirati cur, cum hunc fluvium ex oriente profluentem in Scamandrum exisse communis sit opinio, etiam a Strabone Demetrio Scepsio niso et a plerisque viris doctis

---

[33] Eadem Sigei litoris natura apud Statium *Ach.* I 84 (*Sigeo in pulvere*) et Senecam *Tro.* 932 (*altum vadoso Sigeon spectans sinu*) respicitur (cf. Valer. Flacc. II 445 s.).

[34] Strab. XIII 598 ἔστι γὰρ τὸ ναύσταθμον πρὸς Σιγείῳ... εἰ δὲ φήσει τις τὸν νῦν λεγόμενον Ἀχαιῶν λιμένα εἶναι τὸ ναύσταθμον, ἐγγυτέρω τινὰ λέξει τόπον ὅσον δώδεκα σταδίους διεστῶτα τῆς πόλεως, [τὸ] ἐπὶ θαλάττῃ πεδίον συμπροστιθείς... διότι τοῦτο πᾶν πρόχωμα τῶν ποταμῶν ἐστι τὸ πρὸ τῆς πόλεως ἐπὶ θαλάττῃ πεδίον, ὥστε εἰ δωδεκαστάδιόν ἐστι νῦν τὸ μεταξύ, τότε καὶ τῷ ἡμίσει ἔλαττον ὑπῆρχε..., 599 παρατίθησι δ' ὁ Δημήτριος καὶ τὴν Ἀλεξανδρίνην Ἑστίαιαν μάρτυρα, τὴν συγγράψασαν περὶ τῆς Ὁμήρου Ἰλιάδος, πυνθανομένην εἰ περὶ τὴν νῦν πόλιν ὁ πόλεμος συνέστη, καὶ... τὸ Τρωικὸν πεδίον... τὸ μὲν γὰρ πρὸ τῆς νῦν πόλεως ὁρώμενον πρόχωμα εἶναι τῶν ποταμῶν ὕστερον γεγονός (cf. I 58. Herod. II 10. Plin. *n. h.* II 201). Haec tamen Demetrii Scepsii et Strabonis opinio nunc a viris doctis, qui soli Troadis naturam accuratius cognoverunt, repudiatur (Mey p. 20, cf. adn. 28).

recentioribus comprobata (B ü r c h n e r, RE III A col. 161 s. v. *Simoeis*), apud Lucanum Simois in periplo referatur[35]. Si tamen mutationum, quibus Troadis flumina obnoxia fuisse dixi, ratio habetur, cum oram eius maritimam crebris et perplexis fluviorum rivis proscissam ac harenis et aquarum lacunis obsitam esse constet, poetae rationem temporum secuto Simoenta ut sui iuris fluvium propriis ostiis in mare decurrentem innotuisse admodum probabile est. Temporibus enim Romanis in ora Troadis tria fluviorum nomina distincta esse e Plinii testimonio evenit: *n. h.* V 124 *...Scamander amnis navigabilis et in promunturio quondam Sigeum oppidum; dein portus, in quem influit Xanthus Simoenti iunctus stagnumque prius faciens Palaescamander...* Quia I p. Chr. n. saeculi temporibus ostia Scamandri iam in Sigeo erant, veteri eius alveo, a Plinio Palaescamander appellato, Lucanus Xanthi, quem exaruisse (v. 974 s.) tradit, nomen indidisse videtur, Simoenta autem in mare exeuntem fecit, qui aetate imperatoria Scamandro praetermisso saepissime apud poetas[36] ut principalis et patrius Troadis fluvius prodit[37]. Aquis enim Simoentis in peripli enarratione nuncupatis ostia eius stagnantia designari iudico, quae apud Strabonem στομαλίμνη vel λιμνοθάλατται (Galen. VI p. 711, 11) et apud Plinium *stagnum,* parum accurate Palaescamander nominatum, appellantur. Cum oram Troadis nunc eodem fere statu esse atque I p. Chr. n. saeculo exploratum sit[38], tabula geo-

---

[35] Singulis Iliadis locis cum pulvisculo perpensis Simoenta iam apud Homerum ut sui iuris fluvium separatis ostiis in mare exisse R o b e r t contendit (*Topographische Probleme der Ilias,* Herm. 1907 p. 109 ss. L e a f, *Troy* p. 37 ss).

[36] Apud Tibullum, Propertium (praeter supra indicatum locum coniectura expletum) Vergilium, Ovidium, Valerium Flaccum, Senecam tragoediarum auctorem Scamandri nomen versui fortasse hexametro parum commodum desideratur et loco eius iuxta Simoenta Xanthi nomen adhibetur.

[37] A flumine Simoente Troia Σιμουντὶς appellatur: Strab. VIII 387 ...ἀπὸ ποταμοῦ ...ὡς αἱ Θῆβαι Διρκαῖαι καὶ Ἀσωπίδες, Ἄργος δ' Ἰνάχιον, Τροία δὲ Σιμουντίς; cf. Eurip. *Troad.* 810. *Hec.* 641. *Androm.* 1019. 1183. Steph. Byz. s. v. Suid. s. v. Verg. *Aen.* III 302 ss.

[38] B u s s e, *Der Schauplatz der Kämpfe vor Troja,* N. Jahrbüch. f. kl. Altert. 1907 p. 462 ss, D r e r u p, *Das Homerproblem in d. Gegenwart,* Wirceburgi 1921 p. 202.

graphica inspecta Lucani litorum delineatio praeclare explicatur: ad Sigeum promunturium Scamandri ostia ponuntur (hod. Mendere Su), in sinu autem Simois Lucani effunditur, qui hodie Kalifatly Asmak nominatus et cum Dumbrek Su fluvio (Homerico Simoenti) coniunctus non procul ab ora maritima paludes aquis evagatis stagnantes et aquarum lacunas late diffusas, quibus testimonia Plinii et Strabonis in mentem revocantur, efficit (tabula geographica a Gravesio et Sprattio confecta et a Burnoufio emendata). Xanthum autem apud Lucanum eundem esse atque Palaescamandrum (hod. In Tepe Asmak) censuerim. Qui aetate Homerica undis uberrimis plenus postea ostiis in regionem Sigei translatis iam Romanis temporibus Palaescamander nuncupatus aquis privatus erat et etiam hodie ieiuno aquae cursu labens in regione Rhoetei mari non tam miscetur, quam in ostiis ipse undis marinis impletur (Schliemann p. 104 ss, Dörpfeld p. 618 s., Limpricht p. 55, Leaf, *Troy* p. 385 ss).

Testimoniis et tabulis geographicis in comparationem accitis ostia Simoentis maritima[39], quae apud Lucanum leguntur, iam optimis argumentis fulta nunc Ptolemaei auctoritate corroboro, apud quem in periplo Troadis ostia Simoentis maritima iam expressis verbis referuntur: V 2, 2 ἐν δὲ τῷ Ἑλλησπόντῳ Ἄβυδος... Σιμοέντος ποταμοῦ ἐκβολαί... Δάρδανον... Σκαμάνδρου ποταμοῦ ἐκβολαί c. schol. et comm. Mülleri I 2 p. 807, ubi non errorem, ut plerumque fit, suspicari debemus, sed aetatis recentioris statum, cum duo Troadis flumina in mare emissa nota fuissent, a geographo descriptum esse ex eis quae protuli necesse est statuamus. His Melae periplum subnectendum puto, in quo separatus fluvius Simois, qui in mare elabitur, intellegi potest: *huc ab Idaeo monte demissus Scamander exit et Simois...*[40]

Quibus propositis satis multis testimoniis demonstravisse videor in periplo Troadis a Lucano delineato Simoenta

[39] Tozer, *Researches in the Highlands of Turkey*, Lond. 1869 II p. 345.

[40] Cf. etiam Tryphiod. 325 ss:

ἔβρεμε νυμφαίῃσιν ἅμα δρυσὶ δάσκιος Ἴδη
ἴαχε καὶ Ξάνθου ποταμοῦ κυκλούμενον ὕδωρ
καὶ στόμα κεκλήγει Σιμοείσιον...

distinctis ostiis in mare exisse, in quibus periplum recentiorem a Lucano respectum esse luculenter patet.

Promunturio Rhoeteo, Aiacis sepulcro insigni, peripli ordine nuncupato heroum tumulis, qui parum recte post Rhoeteum apud Lucanum recensentur, periplus Troiae explicit. Tumulos enim Achillis, Patrocli, Antilochi, quos in Lucani versu Rhoeteo praeternavigato poetica ratione depictos video: *...et multum debentis vatibus umbras,* in Sigeo sitos [41] ordine geographico observato iam peripli initio nominandos fuisse animadverto. Sed hic in vicem Caesaris itinerario, qui ex oriente occasum versus procedebat, respecto tumuli et heroum sepulcra in Sigei regione sita recte sub finem eius itineris proferuntur. Turbatam quidem peripli ordinem, sed verae Caesaris in Troade peregrinationi concordem detego, in quo Lucani studium, ut periplum aliunde depromptum geographicum cum Caesaris oram Troadis lustrantis itinerario proprio ingenio componat, satis dilucide perspicitur.

Postquam Troadis litora Caesar cognovit, in mediterranea pergit, ubi ipsius urbis Troiae situm circumeundo contemplatur (964—9):

> *circumit exustae nomen memorabile Troiae*
> *magnaque Phoebei quaerit vestigia muri.*
> *Iam silvae steriles et putres robore trunci*
> *Assaraci pressere domos et templa deorum*
> *iam lassa radice tenent, ac tota teguntur*
> *Pergama dumetis, etiam periere ruinae.*

Nulla moenia, nulla templa, nulla monumenta, quae periegetae monstranda et poetae describenda essent, Caesari se obtulerunt. Omnia ruinis strata, eversa et exstincta. Tristi solitudine et silentio taciturno loca quondam florentia premuntur. Ipsis ruinis deficientibus, cum vix muri vestigia distingui possint, loca deserta silva, dumetis, putribus truncis iacent consita et sepulta, dum caprifici radicibus longaevo iam labore fatigatis finduntur et divelluntur lapides [42]. Cae-

[41] Strab. XIII 596; cf. Leaf, *Troy* p. 25 s., Ruge, RE VII A col. 574 s. s. v. *Troas,* Bürchner, RE II A col. 2276 s. v. *Sigeion,* Winnefeld ap. Dörpfeldium p. 543 ss. (Catull. 68, 89 s.).

[42] Cf. Franckenii p. 212 et Oudendorpii p. 755 comment., ubi de caprifici radicibus monumenta lapidea findentibus testimonia colliguntur.

sari *città morta*, ut d'Annunziana locutione utar, ostenditur (*Ant. Pal.* IX 152 ss. Cic. *ad fam.* IV 5 *oppidum cadavera*)[43].

Ilium Novum secundum communem opinionem loco veteris Troiae Homericae et eisdem fundamentis denuo conditum[44] a poeta ne verbo quidem commemoratur, quamquam Lucani aetate a Romanis, quorum diversae familiae a Troianis originem repetebant (cf. Varronis et Hygini *de familiis Troianis* scripta) et ipsa Troia parens urbis Romae credebatur, beneficiis adornatum et libertate atque immunitate donatum optime floruit (Strab. XIII 593 ... καὶ συνέμεινε καὶ αὔξησιν ἔσχε (ἡ τῶν Ἰλιέων πόλις), νῦν δὲ καὶ Ῥωμαίων ἀποικίαν δέδεκται καὶ ἔστι τῶν ἐλλογίμων πόλεων)[45]. Cum tamen de Ilio Novo taceatur Troiae veteris situm ab hoc oppido ut infra dicam satis distantem a poeta describi admodum probabile est. Fuere tamen qui contenderent[46] Lucanum ratione temporum

---

[43] Imaginem Troiae a Lucano depictam Ebeling cum Blegenii novissima descriptione contulit: *A passage in Lucan illustrated*, Class. Weekly 1933 p. 167: *in dr Blegen's account of the new excavations at Troy* (Amer. Journ. of Archaeol. 1932 p. 450) *we read: „...during the past generation the whole site has been overgrown with weeds, nettles, briars, brush and wild figs, and at the beginning of our campaign many of the most impressive walls were almost entirely hidden from sight". This evidence of luxuriant vegetation on the site of ancient Troy lends interest to a somewhat imaginative description in Lucan's Pharsalia 9, 964—969...* Quod Ebelingii verba afferre potui amicitiae Mariae et Stanislai Akielaszek debeo, qui in America in Novi Eboraci bibliothecis librum indicatum inspexerunt et haec mihi per litteras benigne communicaverunt. Desertorum oppidorum imagines apud Dionem I 52. VII 39 et Pausaniam VI 22, 1. X 4, 1 invenies.

Peregrinatorum Polonorum agmen, qui saec. XVI- XIX Troiae regionem viserunt, illustrissimus vir doctus ac philologiae nostrae princeps Thaddaeus Sinko percensuit et exquisitissimis explicationibus instruxit: *Polscy podróżnicy w Grecji i Troi*, Cracoviae 1925.

[44] Schliemann, Dörpfeld, Blegen (*Excavations at Troy*, Amer. Journ. of Archaeol. 1932 p. 431, 1934 p. 223 ss, 1935 p. 6 ss, 350 ss, 1937 p. 17 ss, 333 ss, 1939 p. 204 ss) in colle hodie Hissarlyk appellato Troiae Homericae et Ilii Novi vestigia detexerunt (cf. Ruge, RE VII A col. 535).

[45] Haubold, *De rebus Iliensium*. diss. Lips. 1888 p. 63 s., Brückner ap. Dörpfeldium *Troja u. Ilion* II p. 438. 589, Friedlaender, *Sittengeschichte* I p. 417, Ruge col. 543.

[46] Brückner ap. Dörpfeldium II p. 589, Leaf, *Troy* p. 124 adn. 1: *Lucans picture of utter desolation, if it is not mere rhetoric,*

habita ruinas Ilii Novi a Fimbria a. 85 a. Chr. n. crudeli obsidione expugnati et diruti [47] rhetorica ratione expressisse quodque oppidum Caesaris demum et aliorum imperatorum peculiari erga Ilienses munificentia reparatum esse iudicarent. Annalibus tamen huius oppidi accuratius excussis iam a Sulla quadamtenus Ilium Novum post Fimbriae eversionem instauratum esse Strabo et Orosius tradunt [48]. Praeterea bello Mithridatico confecto Ilium inter oppida refertur, quae oneribus provinciae impositis ab ipso Sulla liberata erant [49]; oppidum igitur quod exstabat respiciebatur. Etiam in catalogo auxiliorum, quae Pompeio mittuntur, Ilium Novum et eius agmina ab ipso Lucano recensentur III 211 ss:

> *Iliacae quoque signa manus perituraque castra*
> *ominibus petiere suis, nec fabula Troiae*
> *continuit Phrygiique ferens se Caesar Iuli.*

Ilii Novi cohortes neque fama Caesaris ex Iuli stirpe oriundi a partibus Pompei detinuit neque fatalis Troiae diversa excidia passae memoria, quae in proverbium ἀεὶ Ἰλίῳ κακά exit (Eustath. *in Iliad.* IV 48 p. 444, 22. XIX 128

shows the disastrous result of Fimbria's brutal ravages. Apud Horatii scholiastas Ps. Acronem et Porphyrionem ad *c.* III 3, 61—5 de Troiae a Fimbria perpetrata eversione haec leguntur: Porphyr. III 3, 61—2 *fortuna Troiae alite lugubri, id est malo auspicio, renascens iterato excidio cadet. Ilic autem sensus inde conceptus est, quod Flavius Fimbria legatus Cinnae Ilium temporibus Syllanis oppugnavit ac diruit...*, cf. Ps. Acro III 3, 62. Ex his Horatii commentatoribus *M. Annaei Lucani comm. Bernensia* pendere videntur: IX 998 *restituam populos...: ipse* (Caesar) *restituit Ilium a Fimbria dirutum.*

[47] Liv. *perioch.* 83, App. *Mithr.* 53, Cassius Dio frg. 104, 7 p. 347 B., August. *de civ. Dei* III 7 s., Iul. Obs. 56, Inc. auct. *de vir. illustr.* 70; Brückner II p. 587 s., Frazeri comm. ad Ovid. *fast.* VI 421 (IV p. 262).

[48] Strab. XIII 594 τοῦτον (Fimbriam) μὲν οὖν ἐπελθὼν Σύλλας κατέλυσε, καὶ τὴν Μιθριδάτην κατὰ συμβάσεις εἰς τὴν οἰκείαν ἀπέπεμψε, τοὺς δ' Ἰλιέας παρεμυθήσατο πολλοῖς ἐπανορθώμασι. Oros. VI 2, 11 *Fimbria Iliensibus iratus, a quibus pro Sullanae partis studio obiectu portarum repulsus videbatur ipsam urbem Ilium, antiquam illam Romae parentem, funditus caede incendioque delevit. Sed eam Sulla continuo reformavit;* cf. Meyer, *Geschichte von Troas* p. 95 ss, Haubold, *De rebus Iliensium* p. 38 ss, Brückner p. 588.

[49] Ruge, RE VII A col. 543, Münzer, RE XV col. 2178 s. v. *Mithridates*, Norden p. 256.

p. 1175, 62. Diogen. V 26 not., *Paroem. Gr.* I p. 256), quominus pugnae interessent, deterruit. Vetus Troia Homerica e fabulis nota ab Ilio Novo tamquam diverso loco sito etiam in his versibus separari videtur. In ipsa quoque Troiae descriptione, quae l. IX continetur, nullum indicium reperitur, ex quo de recenti Ilii Novi excidio a Romanis perpetrato cogitare possis. Omnia vetustate collapsa fabulosa et heroica tempora spirant. Moenia veteris Troiae iam tempore prorsus consumpta et Assaraci domus, quibus Troia Homerica designatur, a poeta memorantur[50]. His prolatis quin veteris Troiae Homericae silentio mersae tristis situs ipsis ruinis iam deperditis (cf. Acc. *Astyanax* frg. XII 185 s. R.) a poeta depictus sit nullus, quantum video, dubitationi relinquitur locus.

Priusquam tamen de Lucani fonte vel auctore sententiam feram, generalia quaedam, ut omni ex parte poetam enucleatum ostendam, praemittenda esse opinor. Praeter Lucanum enim etiam apud alios Romanorum poetas, qui litterariam excidii Troiani repetebant memoriam, ruinas Troiae deploratas invenimus[51], cum excidium huius oppidi clarissimum in carminibus et tragoediis celebratum saepissime antiquis obversatum sit[52]. Et non me fugit studium quoddam Graeciae et Troiae visendae iam temporibus rei publicae conspicuum aetate imperatoria magis magisque percrebruisse. Post gloriosa enim Graeciae tempora ingentibus factis et praeclaris ducibus ac poetis illustria Romani oppidorum eius memorandae vetustatis monumentis alliciebantur. Itaque Graeciae veteris loca fabulis et rebus gestis nobilitata lustrabantur (Friedlaender I p. 409) et singularum regionum prisca et obsoleta monumenta persaepe ruinis strata spectabantur (*Anth. Pal.* IX 101—4). Troiam quoque gentis Romanae parentem venerabilem praecipuo in cultu ac ho-

[50] Cf. sacrificium et preces a Caesare peracta, quae vv 987—99 leguntur.

[51] Hor. *c.* III 3, 60 ss, Ovid. *epist.* 1, 53 ss, *met.* XV 422—3, *Aetna* 590 ss, Sen. *Tro.* 15 ss, passim.

[52] Welcker, *Über die Lage d. homer. Ilion*, Kl. Schrift. II p. XXXV, Steitz, *Die Lage d. homer. Troia*, Jahrb. f. class. Philol. 1875 p. 229. Complures quoque tragicorum Romanorum fabulae in excidio Troiano versantur: e. g. Livii Andronici et Naevii *Equus Troianus*, Ennii *Hecuba, Andromacha aechmalotis*, Accii *Astyanax, Hecuba, Neoptolemos, Troades*, Senecae *Troades*; cf. Neronis *Troica*.

nore habitam (Norden, *Vergils Aeneis im Lichte ihrer Zeit,* N. Jahrb. f. klass. Altert. 1901 p. 225 ss) non raro visitatam esse per se patet. Permulti enim litoribus Troadis adacti loca Ilii veneranda ascendebant, ut templo Athenae in acropoli sito sollemniter sacrificarent[53].

Ex hoc igitur praeteriti temporis locorum et monumentorum studio atque amore priscarum et, quae singulari amoenitate praeditae erant, regionum et urbium descriptiones et ruinarum apud poetas et declamatores Romanos obvias mentiones pendere manifestum est[54]. Itaque Lucanus morem aetatis et poetarum consuetudinem secutus tristes Troiae ruinas Caesaris oculis subiecit. Ut tamen in Troadis litoribus delineandis periplum geographicum rhetorico quodam modo et poetica ratione ab eo adhibitum esse demonstravi, ita etiam, dum chorographico et periegetico more mediterranea Troadis enarrat, Troiae situs descriptionem est quod non solo ingenio poetae, qui rhetorum praeceptis nisus ἔκφρασιν τόπου praebet[55], tribuam, sed auctorem, qui ei non verba sed rem suppeditaverit, quaeram. A Lucano enim veteris Troiae Homericae ab imis eversae ἀφανισμός depingitur, qui apud Strabonem l. XIII uberrimis argumentis confirmatus Demetrio Scepsio auctore enarratur et ab Eustathio e Strabone iterum repetitur (*in Iliad.* IV 163 p. 459). Quo-

---

[53] Omnes Graecos inde a Xerxe (Maurice, *The size of the army of Xerxes in the invasion of Greece,* Journ. Hell. Stud. 1930 p. 210 ss) et plurimos Romanos, qui Troiam adierunt, ordine temporum servato apud Brücknerum (Dörpfeld II p. 586 ss) et Friedlaenderum I p. 417 enumeratos invenies.

[54] Propert. IV 1, 33. IV 4. 10. Ovid. *fasti* I 243. 381. Verg. *Aen.* VIII 306. Lucan. II 91 ss. IV 585. VII 392 s.; cf. Schulten. *Die historische Topographie,* N. Jahrb. f. d. klass. Altert. 1916 p. 156 s., Morawski, *De rhetoribus Latinis observationes,* Cracoviae 1892, Geissler, *Ad descriptionum historiam symbola,* diss. Lips. 1916 p. 34 ss, Heinze, *Vergils epische Technik*[3] p. 396 s.

[55] Locorum descriptiones (ἐκφράσεις) plurimis rhetorum praeceptis commendantur, in quibus a Theone etiam solitudinis ecphrasin respectam esse legimus: *progymn.* 11 (*Rh. Gr.* II p. 118 Sp.) ...γίνεται δὲ ἔκφρασις προσώπων τε καὶ πραγμάτων καὶ τόπων καὶ χρόνων... τόπων δὲ οἷον λειμῶνος, αἰγιαλῶν. πόλεων, νήσων, ἐρημίας, καὶ τῶν ὁμοίων; cf. Hermog. *progymn.* 10 R., Aphth. *progymn.* 46, Nicol. 67 F., apud quos tamen de solitudinis descriptione locus desiderari videtur (Geissler, *Ad descriptionum historiam symbola* p. 8 ss).

niam ad Demetrium Scepsium qui de loco Troiae Homericae peculiarem sententiam protulit delati sumus, necesse est de situ eius pauca subiungamus. Intricatissima tamen quaestione iam a plurimis viris doctis abunde explicata praetermissa satis esse opinor, ut de Ilii veteris loco etiam nunc ambigi moneam, cum opinione de Bunarbašy debellata novissime a Blegenio Schliemannium et Dörpfeldium secuto Troia Homerica in colle q. v. Hissarlyk, ubi Ilium Novum situm erat, excavetur (cf. adn. 44), a Vellayo[56] autem loco Ilii Novi prorsus repudiato magis in meridiem versus in hod. Bali Dagh situm eius quaerendum esse contendatur. Contra communem antiquorum et Iliensium opinionem, qui Ilium Novum eisdem atque Troia Homerica fundamentis exstructum esse asseverabant (Strab. XIII 593. 600. 601; Brückner ap. Dörpfeldium, *Troja u. Ilion* II p. 601 s.) iam Demetrius Scepsius, operis doctissimi περὶ τοῦ Τρωικοῦ διακόσμου inscripti auctor excellentissimus[57], Troiam veterem in pago Iliensium (Ἰλιέων κώμη) ab Ilio Novo XXX stadiis distanti posuit: Strab. XIII 593 ...οὐ γὰρ ἐνταῦθα ἵδρυσε τὴν πόλιν ὅπου νῦν ἔστιν, ἀλλὰ σχεδόν τι τριάκοντα σταδίοις ἀνωτέρω πρὸς ἕω καὶ πρὸς τὴν Ἴδην καὶ τὴν Δαρδανίαν κατὰ τὴν νῦν καλουμένην Ἰλιέων κώμην, 597 ...ὑπὲρ δὲ τούτου μικρὸν ἡ τῶν Ἰλιέων κώμη ἐστίν, ἐν ᾗ νομίζεται τὸ παλαιὸν Ἴλιον ἱδρῦσθαι πρότερον, τριάκοντα σταδίους διέχον ἀπὸ τῆς νῦν πόλεως (Gaede, *Demetrii Scepsii q. supersunt* p. 27, Bürchner, RE IX col. 1063 s. v. *Ilieon kome*, Wilamowitz, *Ilias u. Homer* p. 381). Secundum enim Demetrium Ilio a Graecis funditus everso locum oppidi ab incolis in omne tempus desertum ac derelictum fuisse[58] et post diversas situs mutationes in aliam regionem, quae XXX stadiis

---

[56] Vellay, *Controverses autour de Troie*, Paris. 1936: c. VIII *Les nouvelles fouilles d'Hissarlik* pp 139—170, *La Troie d'Homère et la tradition*, Les Etud. Class. 1937 p. 337 ss, *Troia iterum exstincta*, Bulletin de l'Association Guill. Budé 1938 p. 7 ss.

[57] Susemihl, *Gesch. d. gr. Litt.* I p. 681 ss, Christ-Schmid, *Gesch. d. gr. Litt.* II 1 p. 245, Schwartz, RE IV col. 2807 ss s. v. *Demetrios*, Gaede, *Demetrii Scepsii q. supersunt*. diss. Gryphisw. 1880.

[58] Vellay, *Quelques témoignages sur l'abandon du site de l'ancienne Troie*, Rev. Etud. Homer. 1933 p. 76—93 (*Controverses autour de Troie*, c. VI p. 106—123); cf. *Il.* VI 148. XII 15. *Odyss.* III 130. Aesch. *Agam.* 525 ss. Verg. *Aen.* XII 828. Serv. *ad Aen.* II 625. III 3. Sen. *Tro.* passim.

aberat, sedibus translatis Ilium Novum conditum esse e Strabonis libro XIII doctrina Demetriana referto comperimus: 601 ...Ὅμηρος δὲ ῥητῶς τὸν ἀφανισμὸν τῆς πόλεως εἴρηκεν ἔσσεται ἦμαρ ὅταν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή... ὁμολογοῦσι δὲ καὶ οἱ νεώτεροι τὸν ἀφανισμὸν τῆς πόλεως, ὧν ἔστι καὶ Λυκοῦργος ὁ ῥήτωρ· μνησθεὶς γὰρ τῆς Ἰλιέων πόλεως φησί 'τίς οὐκ ἀκήκοεν, ὡς ἅπαξ ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων κατεσκάφθη, ἀοίκητον οὖσαν' (*c. Leocr.* 52). εἰκάζουσι δὲ τοὺς ὕστερον ἀνακτίσαι διανοουμένους οἰωνίσασθαι τὸν τόπον εἰκεῖνον, εἴτε διὰ τὰς συμφορὰς εἴτε καὶ καταρασαμένου τοῦ Ἀγαμέμνονος κατὰ παλαιὸν ἔθος... ἐκείνου μὲν οὖν ἀποστῆναι τοῦ χωρίου, ἕτερον δὲ τειχίσαι..., cf. 593 οἱ δὲ νῦν Ἰλιεῖς φιλοδοξοῦντες καὶ θέλοντες εἶναι ταύτην τὴν παλαιὰν παρεσχήκασι λόγον τοῖς ἐκ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως τεκμαιρομένοις· οὐ γὰρ ἔοικεν αὕτη εἶναι ἡ καθ' Ὅμηρον. καὶ ἄλλοι δὲ ἱστοροῦσι πλείους μεταβεβληκέναι τόπους τὴν πόλιν. Troiae veteris nulla iam vestigia exstitisse idem Strabo Demetrio Scepsio teste declarat: 599 οὐδὲν δ' ἴχνος σώζεται τῆς ἀρχαίας πόλεως. εἰκότως· ἅτε γὰρ ἐκπεπορθημένων τῶν κύκλῳ πόλεων, οὐ τελέως δὲ κατεσπασμένων, ταύτης δ' ἐκ βάθρων ἀνατετραμμένης, οἱ λίθοι πάντες εἰς τὴν ἐκείνων ἀνάληψιν μετηνέχθησαν. Cum hoc Demetrii Scepsii testimonio Lucani Troiae descriptionem componendam esse opinor. Lucanus enim studio locos priscos silentio obrutos describendi imbutus, cum de Troia ageret Demetrii Scepsii doctrinam, qui Ilio deleto oppidi locum ipsis ruinis iam evanidis desertum iacuisse docuit, consilio eius admodum aptam amplexus est. In Lucani igitur situs Troiae descriptione rhetoricis quidem in singulis depicta Demetrii Scepsii vestigia latere in proclivi est coniectura.

Quamquam doctum Demetrii opus ignotum Romanis fuisse videtur, vestigia tamen eius doctrinae Graecis grammaticis intercedentibus ad Romanos pervenisse G a e d e, *Demetrii Scepsii q. supersunt* p. 16, S u s e m i h l, *Gesch. d. griech. Litteratur* I p. 684, S c h w a r t z, RE IV col. 2868 statuerunt. Praeterea M a a s s, *De Sibyllarum indicibus*, diss. Gryphisw. 1879 (cf. *Tibullische Sagen*, Herm. 1883 p. 330 s.) eius doctrinam, quae ad Sibyllas spectat, apud Alexandrum Polyhistorem repperit et eam Tibullo et Dionysio Halicarnassensi notam fuisse coniecit (cf. J a c o b y, *F Gr Hist* III A p. 283). Demetrii commentarios a Theone aetatis Augusteae grammatico excerptos esse idem G a e d e et M a a s s censuerunt. Cum fontibus Plinii, quos in Graecia

describenda adhibuisset, indagandis incumberem commentatorum Homericae geographiae doctrinam in Plinii libris geographicis depositam in apertum erui et communi Apollodoreorum nomine nuncupavi (*De Apollodoreis in Pliniana Graeciae descriptione (N. H. IV 1—32) obviis*, Disput. Societ. Scient. Wratisl. A. 7, Wratislaviae 1948), in quibus etiam Demetrii Scepsii doctrinam iam ab aliis Plinio suppeditatam respectam esse dilucidis argumentis evici. Apollodori, Graeciae Homericae commentatoris clarissimi, etiam apud Lucanum in Graeciae et praecipue in Thessaliae descriptione vestigia iam P i n t e r et B ä u m e r aperuerunt. His igitur nunc Demetrii Scepsii. Troadis Homericae periegetae peritissimi, doctrinam Troiae descriptioni apud Lucanum obviae intertextam adicere placet, qua Lucanum et in universum Romanorum geographiam poeticam nova luce perfusam esse video.

Cum nulla monumenta in urbe ipsa ruinis strata Caesari se obtulerint, regionis Troianae loca e fabulis nota peragrantur. Post oram igitur et ipsam urbem descriptam reliquam periegeseos partem Lucanus exsequitur et agrum Troianum locis memorandis refertum, ubi *nullum est*, ut poetae verbis utar, *sine nomine saxum*[59], enarrat (970—75):

> *aspicit Hesiones scopulos silvaque latentis*
> *Anchisae thalamos, quo iudex sederit antro,*
> *unde puer raptus caelo, quo vertice Nais*
> *luxerit Oenone; nullum est sine nomine saxum.*

Spectantur igitur scopuli, quibus Hesione ceto marino exposita alligata fuerat[60], silvestres thalami, in quibus Anchisen Venus est dignata concubitu[61], Paridis antrum, ubi de

---

[59] Etiam Cicero, cum Athenas viseret, eadem animadvertit: *de fin.* V 5... *quacumque enim ingredimur, in aliqua historia vestigium ponimus.*

[60] Locus, quo exposita erat, maritimus apud Hellanicum *F Gr Hist* 4 F 108, qui peculiare opus Τρωικά scripsit, Ἀγάμμεια nuncupatur; cf. amplam Valerii Flacci II 451 ss de Hesione narrationem (*Adnotat. supra Lucanum* l. l., *Comment. Bern.* l. l., Diod. IV 42; W e i c k e r, RE VIII col. 1240 s. v.).

[61] In silvestribus Idae montibus Anchisae thalami collocantur, Hes. *theog.* 1008 ss:

forma dearum iudicaverat [62]. Idae locus, ex quo ab aquila Iovis raptus est Ganymedes [63], Oenones a Paride desertae refugia montana [64]. Locis e Homeri carminibus notis, in planitie quidem Troiana collocandis, prorsus silentio praetermissis regiones amoribus fabulosis clarae poetis, pictoribus, sculptoribus Alexandrinae aetatis et Romanorum poetis elegiacis singulari studio adamatae referuntur. Recentioris igitur notae originem sapiunt et periegetam poeticis deditum ostendunt, quem secutus Lucanus loca amore heroum apud

---

Αἰνείαν δ' ἄρ' ἔτικτεν ἐυστέφανος Κυθέρεια
Ἀγχίσῃ ἥρωι μιγεῖσ' ἐρατῇ φιλότητι
Ἴδης ἐν κορυφῇσι πολυπτύχου ὑληέσσης...

Q. Smyrn. VIII 97: Δάρδανον αἰπήεσσαν, ἵν' Ἀγχίσαο πέλονται
εὐναί, ὅπου Κυθέρειαν ἐν ἀγκοίνῃσι δάμασσεν...;

cf. Hom. *hymn.* 4, Robert, *Die griech. Heldens.* III 2 p. 1000. In *Adnotat. supra Lucanum* ad l. l. in Lucani versibus *domus Anchisae* a Vergilio *Aen.* II 300 memorata intellegitur (Hosius p. 383). Sed thalamos heroum fabulosos a periegetis monstratos esse Ps. Aristid. *Rhod.* 25, 2 (II p. 72 K.) docet: δείκνυσι ὁ περιάγων ἐν ἀμυδροῖς τοῖς γνωρίσμασι, οὑτοσὶ μὲν Σεμέλης θάλαμος, οὑτοσὶ δὲ Ἁρμονίας, ἢ Λήδας, ἤ τι τῶν τοιούτων.

[62] Iterum in Idae devexis versamur (*Adnot. supra Lucan.* l. l., *Comment. Bern.* l. l.). Sub Iove tamen Paridis iudicium peractum esse ab omnibus fere traditum accepimus (Burmanni comm. ad Lucanum p. 684, Robert, *Die griech. Heldens.* III 2 p. 1071, Türk, Roscheri Lex. mythol. III col. 1586 ss). Apud Diodorum solum, quod sciam, in Alexandri Magni rebus enarrandis, quod velim memoria teneas, spelunca, qua Paris iudicasse narrabatur, in Idae montibus sita nuncupatur: XVII 7, 4 (Ida) μέγιστον δ' ὑπάρχον τῶν κατὰ τὸν Ἑλλήσποντον ἔχει κατὰ τὸ μέσον ἄντρον θεοπρεπές, ἐν ᾧ φασι κριθῆναι τὰς θεὰς ὑπ' Ἀλεξάνδρου (cf. Mela I 93).

[63] Strab. XIII 587 ἐν δὲ τῇ μεθορίᾳ τῆς Κυζικηνῆς καὶ τῆς Πριαπηνῆς ἔστι τὰ Ἀρπάγια τόπος, ἐξ οὗ τὸν Γανυμήδην μυθεύουσιν ἡρπάχθαι· ἄλλοι δὲ περὶ Δαρδάνιον ἄκραν πλησίον Δαρδάνου. Vergilius (*Aen.* V 254 ss), Horatius (*c.* III 20, 16), Ovidius (*met.* X 255 s.), Valerius Flaccus (II 413 ss) in Ida raptum esse Ganymedem narrant.

[64] De Oenone et eius in Idae montibus refugiis, quae fabula poetis Alexandrinae aetatis Graecis et postea Romanis grata atque accepta fuit, plurima exstant testimonia: Parth. *narr. am.* 4, Ovid. *epist.* 5, Lycophr. 57 c. schol., Apollod. III 5, Quint. Smyrn. X 233 ss; Krischan, RE XVII col. 2251 ss s. v. *Oinone*, Robert, *Die gr. Heldens.* III 2 p. 982 s. Hegesianactis, qui sub nomine prisci Cephalonis Τρωικὰ edidit (*FHG* III p. 69, Jacoby, RE VII 2605 s. v. *Hegesianax*), de Oenone fabula apud Parthenium l. l. refertur, quem plura poetis Romanis fabulosa suppeditasse constat (Kowalski, *De Didone Graeca et Latina.* Acad. Polon. Litter. LXIII 1, Cracoviae 1929 p. 35).

poetas celebrata, quae fortasse ipse in Troade moratus cognovit, Caesari lustranda proponit.

Si tamen enumerationis, in qua loca in peculiaribus Troadis tractationibus periegeticis enarrata prodeunt, perpenderimus ordinem, verae peregrinationis itinera parum respecta esse apparebit. Praeter enim Hesiones scopulos ad mare sitos, a quibus ac si ab ora maritima in mediterranea enumeratio procedat initium sumitur, omnia in montuosis Idae regionibus versantur ita, ut de Idae montibus amore fabuloso claris agi dici possit. Chorographiae succinctae more grammaticorum compendiario conditae capitulum, q. e. de montibus claris, poetam hic exponere video, in quo etiam Hesiones scopulos perperam inter montes relatos esse admodum probabile est.

Post montes solito in epitomis chorographicis modo, cum secundum peculiaria capita notitiae geographicae discriptae essent, flumina censentur [65] et simili ratione etiam apud Lucanum montium recensionem capitulum q. e. de fluviis Xanthi mentione expletum excipit:

> *inscius in sicco serpentem pulvere rivum*
> *transierat, qui Xanthus erat; securus in alto*
> *gramine ponebat gressus...*

Exaruisse eum poeta dicit et tenui solum aquae filo in pulvere serpentem describit, quod plerisque Graeciae et Troadis fluviis aestate accidere non est quod repetam [66]. Ipse enim peregrinationis Graecae memor Spartae mense Augusto ieiuno et exili Eurotae rivulo vix talos me madefacere potuisse suaviter recordor. In hac igitur Xanthi mentione indicium regionis poetae oculis lustratae inesse crediderim, praesertim cum Lucani descriptio ad fluviorum Troadis naturam optime quadret et Caesarem post victoriam ad Pharsalum a. d. V Idus Augustas reportatam eodem mense in

---

[65] Kowalski, *Quaestiones hydrographicae* p. 36 s. 200, Klotz, *Quaestiones Plinianae geographicae*, Quell. u. Forsch. z. alt. Gesch. u. Geogr. fasc. 11, Berol. 1906 p. 82 s.

[66] Leaf, *Troy* p. 31 adn. 1 *Asmak is the Turkish name for such torrent beds dry in summer*, Schliemann. *Troja, Ithaka, Mykenae*, Berol. 1943 p. 234 ss, Mey, *Das Schlachtfeld vor Troja* p. 23, Bürchner, RE III A col. 930 s. v. *Skamandros*.

Troade moratum esse e testimoniis facile deducatur. Sed compositionem, qua descriptio explicit, necesse est intueamur, quia res ita disponuntur, ut *Pharsaliae* laudes, quae vv 980—986 afferuntur, rhetorica ratione a poeta praeparari videantur. Homericis enim, ut i. d., notitiis: Xanthi descriptione, Hectoris sepulcro, Herceis aris, quae coloribus ex historia Alexandri Magni delibatis depinguntur, Troiae descriptio clauditur. Ipsa Caesaris in Troade commoratione et sollemnibus eius sacrificiis (IX 987—999) Alexandri Magni Ilium visentis exemplum [67] in mentem revocari per se patet. His adde quod Alexandrum Magnum, cuius gloriam in imperatorum Romanorum virtute conformanda plurimum valuisse constat [68], a Caesare, qui ducem illum excellentissimum sibi imitandum proposuisset, plerumque expressum esse accepimus [69]. Etiam apud Lucanum Caesar sepulcrum illius *felicis praedonis* Alexandriae adiit (X 19 ss) [70]. Itaque Caesarem admiratione Alexandri Magni imbutum fuisse cum Lucanum non praeteriisse plane perspiciatur et cum in diversis *Pharsaliae* partibus et praecipue in l. IX historiae Alexandri Magni similia, imprimis e Curtio Rufo petita, inveniri patefactum sit [71], non est quod miremur etiam in

---

[67] Testimonia plerumque dispersa hic colligere placet: Strab. XIII 594. Diod. XVII 17. Iustin. XI 5, 12. Arr. *anab.* I 11, 5 s. Plut. *v. Alex.* 13. Philostr. *Heroic.* p. 743. Ael. *v. h.* 12, 7. Ps. Callisth. I 42, 9 s. Iul. Valer. I 46 s.; cf. Radet, *Notes sur l'histoire d'Alexandre, VIII: Alexandre à Troie,* Rev. Etud. Anc. 1933 pp 257—77, Brückner ap. Dörpfeldium II p. 577, Droysen, *Gesch. d. Alex. d. Grossen* p. 124, Kaerst, *Gesch. d. Hellenismus* I p. 337.

[68] Pfister, *Der Reliquienkult im Altertum,* Religionsgesch. Vers. u. Vorarb. V 1909 p. 180, Eichberger, *Untersuchungen zu Lucan,* diss. Tubing. 1935 p. 23, Weber, *Alexander der Grosse im Urteil der Griechen u. Römer,* Giessac 1909.

[69] Eustath. *in Iliad.* IV 163 p. 459 Καῖσαρ ὁ θεὸς πάνυ αὐτῆς (Troiae) προηυνόησε, ζηλώσας Ἀλέξανδρον. ἦν γὰρ ὥσπερ Ἀλέξανδρος Φιλόμηρος, οὕτω Καῖσαρ Φιλαλέξανδρος, cf. Meyer, *Caesars Monarchie u. Prinzip. d. Pomp.* p. 514.

[70] Christensen, *Alexander d. Grosse bei d. röm. Dichtern,* N. Jahrb. f. klass. Altert. 1909 p. 122.

[71] Locutiones et imagines ex *historia Alexandri Magni* a Curtio Rufo conscripta depromptas Lucanum in personas et res sui carminis transtulisse iam viri docti statuerunt: Hosius, *Lucan u. seine Quellen,* Rh. Mus. 1893 p. 384 ss, Wuensch, *Lucan-Interpretationem,* diss. Kil.

Troia enarranda, dum ab infesto Caesare lustratur, poetam ex Alexandri imagine ductus quosdam mutuatum esse, praesertim cum de eius Troiae sacrificiis ipse Dicaearchus peculiare scriptum περὶ τῆς ἐν Ἰλίῳ θυσίας composuisset (*FHG* II p. 241 frg. 19 M.) [72].

Sed nos ad Caesarem revertamur, qui montuosis Idae locis circumspectis denuo in urbis ruinas redire videtur et Xanthum, i. e. Palaescamandrum ut supra dixi, ad urbem fluentem transgredi fingitur. Hectoris enim sepulcrum, si Homerum sequimur [73], extra urbem situm erat, Herceae autem arae iam in ipsa urbe monstrabantur:

> *...securus in alto*
> *gramine ponebat gressus: Phryx incola manes*
> *Hectoreos calcare vetat; discussa iacebant*
> *saxa nec ullius faciem servantia sacri:*
> *„Herceas" monstrator ait „non respicis aras"?*

Quae quamquam diruta et vetustate consumpta iacent, divino tamen summi poetae praeconio celebrata immortalitati tradita sunt. Gloriam carminibus poetae paratam his monumentis, aris et sepulcris, quorum vestigia iam deficiunt, diuturniorem esse Lucani exclamatione, quae Troiae descriptioni succedit, dilucide declaratur (980—986):

> *O sacer et magnus vatum labor, omnia fato*
> *eripis et populis donas mortalibus aevum.*

1930 p. 54 ss, Eichberger, *Untersuchungen zu Lucan*, diss. Tubing. 1935 p. 26, Duff, *A Literary History of Rome in the Silver Age* p. 323. De Caesare tamen Troiam lustrante cum Alexandro Magno comparato altum obtinet silentium.

[72] Cf. Martini, RE V col. 552 s. v., Hirzel, *Dialog* I p. 319, Droysen, *Gesch. d. Hell.* III² 2 p. 194.

[73] *Il.* XXIV 660. 784 ss. Dares 27. Ab aliis Hectoris sepulcrum Ophrynii monstrabatur: Lycophr. 1208 c. schol., Aristodem. in schol. *Il.* XIII 1 (= *FHG* III 310 M.), Strab. XIII 595; cf. Lehnerdt, Rosch. Lex. myth. I 2 col. 1927, Heckenbach, RE VII col. 2815 s. v. *Hektor*, Pfister, *Reliquienkult* p. 193.

Cf. Sinko, *Polscy podróżnicy w Grecji i Troi*, Cracoviae 1925 p. 36 ss. Ex Polonorum peregrinatoribus Eduardus Raczyński in opere q. i. *Dziennik podróży do Turcyi odbytey w roku MDCCCXIV (Itinerarii Turcici diarium)*, Wratislaviae 1823 cap. VI pp 257 - 285 egregiam planitiei Troianae descriptionem ministrat (cf. Mauritius Mann, *Podróż na Wschód*, Cracoviae 1855 vol. III p. 465).

Invidia sacrae, Caesar, ne tangere famae;
nam, si quid Latiis fas est promittere Musis,
quantum Zmyrnaei durabunt vatis honores,
venturi me teque legent; Pharsalia nostra
vivet, et a nullo tenebris damnabitur aevo.

Quibus ita propositis temperare mihi non possum quin Alexandri Magni ad tumulum Achillis parentantis verba memorem, in quibus Homeri ingenium poeticum eximiis laudibus effertur: Cic. *Arch.* 24 *o fortunate adulescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris,* ad quae Cicero recte animadvertit: *et vere. nam, nisi Ilias illa exstitisset, idem tumulus qui corpus eius contexerat nomen etiam obruisset* (*F Gr Hist* II D p. 828 Jacoby). Quamquam veterem cramben recoquere videor etiam alios scriptores, qui Alexandri Magni vitam enarraverunt, ut rem in pleniore luce ostendam proponendos esse puto: Plut. *v. Alex.* 13 (Alexander) τὴν δ' Ἀχιλλέως στήλην ἀλειψάμενος λίπα... ἐστεφάνωσε μακαρίσας αὐτὸν ὅτι καὶ ζῶν φίλου πιστοῦ καὶ τελευτήσαντος μεγάλου κήρυκος ἔτυχεν..., Arr. I 12 ...καὶ εὐδαιμόνισεν ἄρα, ὡς λόγος, Ἀλέξανδρος Ἀχιλλέα, ὅτι Ὁμήρου κήρυκος ἐς τὴν ἔπειτα μνήμην ἔτυχε; cf. *Hist. Alex. M. (Ps. Callisth.)* 42, 11 ed. Kroll, Iul. Valer. I 47. Quae cum ita sint in Troiae descriptionis versibus extremis poetam ex historia Alexandri Magni pendere iam probabilior fit coniectura.

Etiam Scamandri mentionem apud Ps. Callisthenem et Iulium Valerium obviam, ubi Alexander hunc parvulum rivum quodam modo quasi illudere videtur et eum poetae solum ingenio famam ac gloriam debere asserit, cum Xantho a Lucano nominato velim conferas: I 42, 11 καὶ θεασάμενος τὸν Σκάμανδρον ποταμόν, εἰς ὃν ἤλατο Ἀχιλλεύς, ὅτι πέντε πήχεων οὐκ ἦν τὸ εὖρος, καὶ τὸ σάκος Αἴαντος τὸ ἑπταβόειον οὐ πάνυ μέγα οὐδὲ οὕτω θαυμαστὸν καθὼς συνέγραψεν Ὅμηρος, εἶπεν· Μακάριοι ὑμεῖς οἱ τυχόντες τοιούτου κήρυκος τοῦ Ὁμήρου, οἵτινες ἐν μὲν τοῖς ἐκείνου ποιήμασι μεγάλοι γεγόνατε, ἐν δὲ τοῖς ὁρωμένοις οὐκ ἄξιοι τῶν ὑπ' ἐκείνου γεγραμμένων (Ausfeld, *Der griechische Alexanderroman,* Lips. 1907 p. 148), Iul. Valer. I 47 *haec praecatus in istum Alexander modum ibidem flumen Scamandrum cum videret clipeumque Achilli templo Herculis consecratum, nec alvei illius latitudinem demiratus nec magnificentiam clipei pondusve fa-*

mosum, „o te beatum Achillem", fertur saepe dixisse, „qui Homero praedicatore celebraris!" His Melae testimonium adgero, in quo eundem atque supra protuli sensum latere suspicor: I 93 *...Scamander exit et Simois, fama quam natura maiora flumina* et Horatii, a quo Asiam Minorem in propria peregrinatione cognitam esse recte conicitur, versum ante oculos revoco *epod.* 13, 13 s.: *te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi findunt Scamandri flumina lubricus et Simois* (cf. schol. Ps. Acronis ad l. l.) [74].

Praeter Xanthum item Hectoris sepulcrum apud Lucanum descriptum ex Alexandri exemplo repetendum esse opinor hoc solum discrimine observato, quod Alexandrum ad tumulum manibus Achillis, quem inter maiores numerabat. parentasse accepimus, Caesarem autem Hectoris, gentis Troianae, e qua Aeneam et familiae Iuliae auctorem Iulum descendisse constat, propugnatoris clarissimi sepulcrum sacrificiis ornasse [75] Sidonii Apollinaris testimonio, quod nescio an e Lucani carmine deducendum sit, edocemur: *epist.* III 12, 6 *...tot annorum gyro voluto Magnum Alexandrum parentasse manibus Achillis et Iulium Caesarem Hectori ut suo iusta solvisse didicerimus.* Troiae enim praeter Hectoris sacellum etiam sepulcrum eius, quod summa religione colebatur, exstitisse a diversis scriptoribus traditur. Ex his auctorem *Aetnae,* qui Graeciae loca memorandae vetustatis percenset, in comparationem invito, ut similitudines, quae inter Lucanum et eum intercedant, ab Hosio (*Lucan u. seine Quellen,* Rh. Mus. 1893 p. 397) collectas novo argumento augeam (950 ss):

> *miramur Troiae cineres et flebile victis*
> *Pergamon exstinctosque suo Phrygas Hectore; parvum*
> *conspicimus magni tumulum ducis: hic et Achilles*
> *impiger et victus magni iacet Hectoris ultor.*

Cum de Hectoris sepulcro res agatur non ab re fore puto, ut epigrammata *Anth. Palat.* IX 387 et *Anth. Lat.* 708 (I 2 R.) inserta ante oculos subiciam, in quibus, quamquam de auc-

[74] Exiguas Scamandri undas exercitui et iumentis Xerxis omni aqua exhausta non suffecisse Herodotus VII 43 tradidit.

[75] Gelzer, *Julius Caesar der Politiker u. Staatsmann,* Monach. 1940 p. 231.

tore dubitatur, quia Germanico, Tiberio, Hadriano tribuuntur [76], peculiaris Romanorum erga Hectorem pietas disertis testimoniis comprobatur (P f i s t e r, *Der Reliquienkult im Altertum* I p. 193). Sepulcrum eius, cuius ne vestigia quidem in alto gramine latentia Caesar distinguere potuerat, etiam ab *Aetnae* auctore immensa Hectoris gloria ipsi tumulo exiguo opposita parvum nominatur (S u d h a u s p. 209), quod cum epigrammate *Anth. Palat.* VII 137 contulerim:

μή με τάφῳ σύγκρινε τὸν Ἕκτορα, μηδ' ἐπὶ τύμβῳ
μέτρει τὸν πάσης Ἑλλάδος ἀντίπαλον.
Ἰλιάς, αὐτὸς Ὅμηρος ἐμοὶ τάφος, Ἑλλάς, Ἀχαιοί
φεύγοντες· τούτοις πᾶσιν ἐγωννύμεθα.
εἰ δ' ὀλίγην ἀθρεῖς ἐπ' ἐμοὶ κόνιν, οὐκ ἐμὸν αἶσχος
Ἑλλήνων ἐχθραῖς χερσὶν ἐγωννύμεθα.

Ipsum quoque Hectorem a Lucano separato opere celebratum esse e Statii carmine *silv.* II 7, 55 s. comperimus (*Iliacon* frg 6—7, *FPR* p. 129 Morel; cf. Ennii *Hectoris lutra. TRF* p. 37 R.).

Dirutum autem Hectoris sepulcrum ad ieiunum atque exilem Xanthi cursum et ad disiectas aras Herceas et in universum ad oppidi ruinis strati imaginem tristem optime quadrare facile perspicitur [77]. Ipsam tamen huius sepulcri

---

[76] *Anth. Pal.* IX 387 Ἀδριανοῦ Καίσαρος, οἱ δὲ Γερμανικοῦ. Ἡσύχιος δὲ εἰς Τιβέριον τὸν Καίσαρα ἀναφέρει αὐτό. Εἰς τὸν Ἕκτορα.

Ἕκτορ, Ἀρήιον αἷμα, κατὰ χθονὸς εἴ που ἀκούεις,
χαῖρε καὶ ἄμπνευσον βαιὸν ὑπὲρ πατρίδος.
Ἴλιον οἰκεῖται κλεινὴ πόλις ἄνδρας ἔχουσα
σοῦ μὲν ἀφαυροτέρους, ἀλλ' ἔτ' ἀρηιφίλους·
Μυρμιδόνες δ' ἀπόλοντο. παρίστασο καὶ λέγ' Ἀχιλλεῖ
Θεσσαλίην κεῖσθαι πᾶσαν ὑπ' Αἰνεάδαις.

In *Anth. Lat.* 708 R. eiusdem carminis versio Latina legitur (cf. *Anth. Lat.* 367, 631 (Pompilianus), Auson. *epitaph.* XVII 15, Dracont. *deliberativa Achillis an corpus Hectoris vendat, PLM* V p. 183 ss, Iul. imp. *epist.* 79).

[77] In his dirutorum monumentorum exiguis reliquiis Demetrii Scepsii doctrina ostenditur. Eadem imago Troiae Homericae funditus eversae in tragoediis (cf. adn. 52. 58) obversatur, Aesch. *Agam.* 524 ss:

ἀλλ' εὖ νιν ἀσπάσασθε, καὶ γὰρ οὖν πρέπει
Τροίαν κατασκάψαντα τοῦ δικηφόρου
Διὸς μακέλλῃ, τῇ κατείργασται πέδον,
βωμοί θ' ἕδη καὶ θεῶν ἱδρύματα,
καὶ σπέρμα πάσης ἐξαπόλλυται χθονός.

apud Lucanum in Caesaris Troiam lustrantis peregrinatione mentionem ex Alexandri Magni historia originem traxisse arbitror ita, ut loco Achillis tumuli in historia Alexandri Magni celebrati Hectoris sepulcrum, quod a Romanis saepius visebatur et pie colebatur, illatum sit.

Neque arae Herceae, quibus Troiae descriptio exspirat, si Alexandri Magni exemplum a Lucano in Caesaris imagine depingenda respectum esse suspicamur, neglegendae esse videntur. In rebus enim Iliacis describendis, cum ad eas Priamum obtruncatum esse accipiamus, saepissime nominatae[78] etiam in historia Alexandri Magni ab Arriano exposita comparent: I 11 θῦσαι δὲ αὐτὸν (Alexandrum) καὶ Πριάμῳ ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τοῦ Διὸς τοῦ Ἑρκείου λόγος κατέχει, μῆνιν Πριάμου παραιτούμενον τῷ Νεοπτολέμου γένει, ὃ δὴ ἐς αὐτὸν καθῆκεν[79]. Eiusdem monumenti, quo Penates Troiae Ἑρκεῖοι appellati (Dion. Halic. I 67, Verg. *Aen.* II 506 ss) designantur, eversa et disiecta saxa ab ignaro Caesare calcantur:

> *...discussa iacebant*
> *saxa, nec ullius faciem servantia sacri:*
> *„Herceas", monstrator ait „non respicis aras?"*

His quae protuli adiutus, cum Xanthum, Hectoris sepulcrum, Herceas aras, quibus etiam Caesaris sacrificium vv 987—99 relatum adiciendum est, cum notitiis ex historia Alexandri Magni petitis composuissem, satis docuisse videor Lucanum, cum Caesarem Troiae ruinas spectantem describeret, prae ceteris Alexandri Magni exemplum ante oculos habuisse et coloribus ex historia Alexandri Magni delibatis Caesarem φιλαλέξανδρον ad similitudinem Alexandri depinxisse.

Cum Lucanum nonnulla, quae ad geographiam spectant, in *Pharsaliae* l. IX componendo ex Curtii Rufi *historia Alexandri Magni* hausisse iam H o s i u s et alii viri dd detexis-

[78] J e s s e n, RE VIII col. 686 s. v. *Herkeios*, P r e l l e r - R o b e r t, *Griech. Myth.* III p. 982. Arae Iovis Hercei apud Senecam *Agam.* 448. 798 memorantur (cf. Verg. *Aen.* II 550, Ovid. *Ibis* 284) et Lucani versus apud Servium *in Aen.* II 506 laudatur; cf. H e i n z e, *Virgils epische Technik* p. 40 s.

[79] K o r n e m a n n, *Die Alexandergeschichte d. Königs Ptolemaeus I v. Aegypten*, Lips.-Berol. 1935 p. 2 ss. 103.

sent [80] etiam haec, quae in Troiae descriptione ad exemplum Alexandri Magni expressa esse demonstravi, probabili ratione ad Curtium Rufum referenda esse opinor et ex eius deperditis libris prioribus deprompta esse suspicor. Curtii autem opus aliis insuper auctoribus advocatis maximam partem secundum Clitarchum conscriptum erat, qui etiam Diodoro auctor exstitit praecipuus [81]. Quae cum ita sint Paridis antro a Lucano nominato et apud Diodorum in rebus Alexandri Magni enarrandis relato suspicioni nostrae de Curtio Rufo Lucani fonte optimum adminiculum praebetur. His ita patefactis praeter Lucani auctorem probabilem, quem poeta imitatus est, in lucem protractum etiam alia quaedam ex his versibus secundum Alexandri Magni historiam conformatis de Curtii Rufi libris deperditis, qui nunc ingenio Freinshemii suppleti leguntur, conici posse in propatulo iacet. Praeterea singulas historiae Alexandri Magni notitias, quae nunc sub nomine Pseudo-Callisthenis traduntur, iam Lucano praesto fuisse admodum probabile est.

Nunc omnia, quae adhuc disputavi, accuratius contemplemur, ut rem iam profligatam breviter concludamus. Generali igitur totius descriptionis a Lucano depictae dispositione perspecta, cum chorographico more periplus regionis. urbs ipsa et ager Troianus enarrata prodeant, tripartita ratione eam compositam esse iam palam fit. Singulis notitiis examinatis quin peculiarem sed brevem et concisam Troadis periegesin poeta Troiam Caesari monstraturus in manibus habuerit, nemo iam dubitabit. Quae cum ita sint eis, qui descriptionem Lucani omni veritatis specie carere contendunt, vehementer obloquor. Iam in Hellesponti descriptione Lucanum fonte geographico usum esse dilucide coarguitur. Litora autem Troiae peripli modo recensentur, in quo delineando Lucanus cum geographis consentit et imaginem, quae rerum veritati respondere videtur, ostendit. His adde quod ieiunus Xanthi rivulus optime ad naturam fluvii aestate exarescen-

[80] Uberrimos Lucani et Curtii Rufi locos parallelos, qui in Catonis per deserta Africae itinere describendo apud Lucanum comparent (IX 498 ss), Hosius et Wuensch collegerunt (cf. adn. 71).

[81] Müller, *Scriptores Alexandri Magni* p. 74 ss., *FGrHist* II D 137 *Kleitarchos* p. 484 ss. Jacoby, RE XI col. 630 s. s. v. *Kleitarchos*

tis quadrat. Praeterea vestigia chorographicae tractationis secundum grammaticorum morem institutae in montibus enumerandis detexi et capitulum de fluviis, qui montibus subiunguntur, Xanthi mentione breviter absolutum esse animadverti. Etiam in ipsius Troiae ruinis stratae ac derelictae imagine depingenda non merum topothesiae specimen legitur, sed oppidi situs, ab excellentissimo Troiae Homericae interprete comprobatus, rhetoricis solum apud Lucanum exornatus describitur. Demetrii enim Scepsii doctrina a Lucano reddita esse videtur.

Cave tamen ne descriptionibus a poetis adumbratis nimiam fidem habueris. Poetae enim plurima diversis fontibus adhibitis in usum suum convertunt et nonnumquam verum rerum statum propria Minerva ita commutant, ut etiam fontibus accuratissimis accitis prorsus a veritate discedere videantur. Lucanus tamen poeta doctus, qui in notitiis geographicis colligendis Varronis Reatini et Atacini, Posidonii, Apollodori et aliorum scripta sollerti cura consulebat (cf. adn. 4), in Troiae descriptione componenda peculiari fonte periegetico usus est, cuius dispositionem chorographicam pro virili parte in apricum educere conatus sum. Huic tamen fonti periegetico primario doctrinae ostentandae causa diversae notitiae sub finem descriptionis intexuntur, quae memoriae litterarum debentur et praecipue ex historia Alexandri Magni delibata sunt [82]. In Xanthi mentione, quam ad chorographicam fluviorum tractationem pertinere opinor, ea quae ad Alexandri Magni exemplum recurrunt una copulantur et rhetorica ratione a poeta disponuntur. Lucanus enim, utcumque fonte periegetico more chorographico condito adiutus est, poetae, qui ψυχαγωγίας στοχάζεται, officia tuetur. Ex eo pendet quod vera Troiae descriptio e periegesi deprompta notitiis rhetoricis coloribus fucatis et proprio poetae ingenio memoria litterarum imbuto valde obscuratur. Itaque Troiae topographiam cum topothesia aliquatenus coniun-

---

[82] In vicem Gualtherus ab Insulis (s. XII, cf. Manitius, *Gesch. d. lat. Lit. d. Mittelalters* III p. 920) in *Alexandreide* componenda, cum Alexandrum Troiam visentem describeret (I 452 ss), exemplo Lucani ut videtur usus e *Pharsalia* notitias, quas alias uberius illustrabo, mutuatus est.

ctam a Lucano, ut plerumque apud poetas fit, expressam esse ex eis quae exaravi liquido claret.

His expositis restat, ut de auctore, qui Lucano hanc Troiae periegesin suppeditaverit, pauca dicam. Magister et praeceptor meus G. Kowalski de Polemonis opere περιήγησις Ἰλίου inscripto et in tribus libris exposito, quod Alexandro Polyhistore intercedente Lucano innotuisset, ingeniose cogitavit (*Quaestiones hydrographicae* p. 177 adn. 1). Huic tamen opinioni neque omnino accedo neque ab ea plane dissentio, praesertim cum Alexandrum Polyhistorem Demetrii Scepsii, cuius vestigia apud Lucanum suspicatus sum, doctrinam, quod ad Sibyllam Marpessiam attinet (cf. Polem. frg. 33 M.), respexisse iam supra dixerim. Sed Polemonem diversa Ilii monumenta descripsisse per se patet (*FHG* III p. 114), quorum apud Lucanum ipsa Troia ruinis strata et silentio mersa nullum exstat vestigium. Quod autem cum geographis Romanis concordem periplum inveni et loca Troiae fabulosa poetis Alexandrinae et Romanae aetatis adamata repperi, de recentiore quadam Troiae, aetate imperatoria crebro frequentatae (Brückner p. 591), periegesi cogitaverim. In hac concisa et epitomariorum more per singula capitula, ut in epitomis geographicis fit, diducta periegesi iam varias periegeticae et chorographicae indolis notitias, quas e diversis rivulis Demetrii Scepsii, Polemonis, Hegesianactis (cf. adn. 64) doctrina refertis manasse opinor, in unum collectas esse conicio. Hac igitur periegesi Lucanus, qui etiam res Troianas peculiari carmine *Iliacon* inscripto tractavit[83], usus generali dispositione observata propria Minerva quaedam adiecit et rhetoricis coloribus exornavit.

Wratislaviae

[83] Frg 6—7, *FPR* p. 129 Morel (Tolkiehn, *Homer u. die röm. Poesie*, Lips. 1900 p. 138 s.); cf. Neronis *Troica*, Ἰλίου ἅλωσις frg. 9—10, *FPR* p. 132 Morel.

DE COMMENTARII IN HERMOGENIS *STATUS* E TRIBUS INTERPRETIBUS CONFECTI (*Rh. Gr.* IV WALZ) RECENSIONE IN CODICE PAR. GR. 2923 (Py) OBVIA*)

Scripsit

† GEORGIUS KOWALSKI

96, 5-6 εἰ γὰρ καὶ χρηστῶν τῶν πατέρων τὸ πρόσρημα, ἀλλ' εὑρίσκομέν τινας καὶ πονηροὺς W., χρηστὸν recte Py. 144, 8-10 ἐδήλωσεν ὅτι μὴ ἔχων ἐξ ἑκατέρου μέρους ἰσχυροὺς λόγους ἀσύστατον κατὰ τὸ μονομερές W., ὅτι τὸ μὴ ἔχον recte Py. 830, 8 τυχὼν W., τυχὸν recte Py. 594, 22-3 τῆς ἐπὶ τῶν νόμων καταφυγῆς W., τὸν νόμον recte Py. 156, 13-4 εἴπομεν δὲ καὶ ἄλλο παράδειγμα παρὰ τὸ κείμενον· ἔγραψέ τις ψήφισμα W., εἴπωμεν recte Py, nam nunc demum dicitur. 506, 18 τὸ μικρὸν W., τῷ μικρῷ recte Py, cf. supra. 533, 16 ἐπιχειρήσας καταισχύναι τὸν δυνατὸν αὐτῷ τρόπῳ W., quod non intellegitur; τρόπον recte Py. 669, 14 ὅταν μὴ ἐμπέσῃ τὸ ὁριστικόν W., τῷ ὁριστικῷ male Py accommodavit. 418, 32 (καταδραμεῖται) κοινὸς πρὸς τὸ ἔγκλημα W., κοινῶς recte Py. 85, 16 ἀλλὰ κοινῶς γίνεται τόπος W., κοινὸς recte Py. 686, 16-7 ἵνα μὴ ὁμοίως τοῖς ἄλλοις γένηται W., ὅμοιος recte Py, sc. filius, cf. lin. 13. Similia in pronominibus cf. infra.

253, 2-3 ἐκ προστάγματος καὶ ψήφῳ τοῦ δήμου κεκηρυγμένα W., ψήφου Py. 353, 23-4 ἐὰν τῷ πλουσίῳ κατηγορῇς W., τοῦ πλουσίου recte Py. 464, 21-2 ἐγράφατό τις Ἀρίσταρχον τὸν Μόσχου ἐπὶ Νικοδήμου φόνῳ scr. W., φόνον Ald., τοῦ Νικ. φόνου male Py accommodato casu posteriore ad antecedens. 372, 7 ἔθους W., ἔθος Py et Ald. (cf. ibid. adn. 23), cf. Coniectanea. 501, 30 νόμῳ τῷ κατὰ βιαίου scr. W., βιαίῳ Ald., τῶν βιαίων rectissime Py.

In pronominibus frequentissima est mutatio quae inter pronominis αὐτ-, αὑτ-, ἑαυτ' formas intercedit.

479, 12-4 καὶ ἡ πραγματικὴ δὲ τὴν αὐτὴν ἔχει ἀπολογίαν, ὅτι καὶ αὐτὴ περὶ ἀδήλου πράγματος τὴν ζήτησιν ἔχει W., αὕτη Py. 457, 13 ὑπὲρ αὐτοῦ ἀπολογήσεται W., ἑαυτοῦ recte Py, quia ipse accusatur συνειδότος (lin. 10). 723, 10-1 ἐξῆν ἐν πολέμῳ μισθωσάμενον ἕτερον ἐκπέμπειν ἀνθ' ἑαυτοῦ W., ἀντ' αὐτοῦ Py; lin. 12 ἀνθ' ἑαυτοῦ μισ-

*) Cf. Eos XLI 1940—46 fasc. I 1, 46—80.

θωσάμενος W., ἀντ' αὐτοῦ Py. 153, 9-10 πρὸς ἀνατροπὴν αὐτῶν ὁρᾷ τὰ παρ' ἑκατέρου λεγόμενα W., ἑαυτῶν recte Py, se invicem enim evertunt. 514, 28 τὴν μὲν τοῦ ἀντιδίκου διαιρεῖν καὶ διαβάλλειν χρή, τὴν δὲ αὐτῶν συνιστάνειν W., ἑαυτῶν recte Py, i. e. *nostram.* 49, 28 — 50, 2 πᾶν γὰρ ἀπὸ θεοῦ ποιηθέν, ἣν ἔλαβε παρ' αὐτοῦ ἰδέαν, ταύτην μένει ἔχον παρ' αὐτῷ W., ἑαυτῷ recte Py. 387, 5 προτρέψαι τοὺς παρ' αὐτοῖς σπεύδοντες W., ἑαυτοῖς recte Py, cf. PRÓCHNICKA, *De Anon. in Hmg* π. ἰδ. *cod. Par. Gr. 2983 rec.,* Eos 1939 p. 88 ad 7, 996, 5 W. 413, 13 αὐτὸν W., αὑτὸν Py et codd Plat. *Phaedr.* 241 C. 450, 21-2 ἐλέγχει δὲ αὐτὸν ἐνταῦθα ὁ τεχνικός W., ἑαυτὸν recte Py, quia exquiruntur contraria. 551, 23-4 πρὸς ἃ ὁ φεύγων ὁρίεται κλέπτην αὐτὸν εἶναι λέγων, οὐχ ἱερόσυλον W., αὑτὸν recte Py, cf. Hmg 62, 4 R. 149, 21 τῶν βροχισάντων αὐτοὺς W., αὑτοὺς recte Py, opponitur enim lin. 19 τὸ σῶφρον. 52, 20-1 καθ' αὑτὸ W., κ. ἑαυτὸ Py.

Casus numeri genera pronominum mutantur.

376, 24 ἀλλὰ καὶ ἐπ' αὐτὸ δύναται συστῆναι κρίσις W., αὐτῷ συστῆναι recte Py, i. e. ἐπὶ τῷ ἐγκλήματι iudicium consistere potest ipso eo pacto quod crimen prolatum est. 647, 18-9 τάξιν αὐτὰς ταύτην ἔθεσαν W., αὐταῖς recte Py. 754, 23 διότι δὲ παρῆκεν αὐτὰ ὁ ῥήτωρ scr. recte W., i. e. τὰ ἔξωθεν, cf. lin. 16; αὐτὴν Py et Ald. (cf. ibid. adn. 81). 623, 26-7 εἰς συντέλειαν ἀγαγόντα τὰς χορηγίας καὶ κατὰ ταὐτὰ ταῖς τριηραρχίαις W., κ. ταῦτα male Py. 689, 18-9 ὅτι οὐ πρὸς τὴν φύσιν αὐτῶν ἀφορῶν ταὐτά φησιν, ἀλλὰ W., ταῦτα recte Py.

291, 18 τὴν διαφορὰν αὐτοῦ πρὸς τὴν ἔγγραφον W., αὐτῆς recte Py, i. e. τῆς ἀγράφου. 422, 24-5 πᾶσαν αὐτοῦ ποιεῖται τὴν διδασκαλίαν W., αὐτῆς recte Py, quia pertinet ad lin. 23 ἡ κοινὴ ποιότης. 452, 14 τίς αὐτοῦ πρὸς τὰ ἄλλα διαφορά W., αὐτῶν recte Py, cf. lin. 12 τῶν συνεζευγμένων. 466, 7 ὁ δὲ ὑπὲρ αὐτοῦ ἀγωνιζόμενος W., αὐτῆς recte Py, i. e. novercae, cf. lin. 2. 492, 30 ὅπερ παραιτεῖται αὐτοῦ W., αὐτῶ Py. sed omnino abundat.

499, 20 ἐκ τῶν αὐτῶν πεπραγμένων recte W., αὐτῶ Py. Finitio opposita enim ducitur ex eisdem factis, cf. Hmg 60, 6-7 R. ὁ ἀνθορισμὸς πάλιν ἐκ τῶν πεπραγμένων. 563, 17 κρίνει αὐτῶν δημοσίων ἀδικημάτων W., αὐτὸν recte Py, i. e. praetorem collegam. 564, 21 ἀπὸ τῶν αὐτῶν πεπραγμένων recte W., αὐτῶ Py. Uterque eadem facta pro re sua definiens. 665, 12-3 καὶ τὴν ἐρήμην αὐτῶν παρέχοντες νίκην W., αὐτοῖς recte Py.

353, 10 τοῖς ἑαυτοῦ παισὶν W., ἑαυτῆς recte Py: novercae. 548, 3-4 εἶτα τὸν συλλογισμὸν ἐξ ἀντιθέσεως ἑαυτῶν W., quod non intellegitur; ἑαυτῷ Py.

525, 16-7 ἔλαττον αὐτῷ δείξομεν W., αὐτὸ recte Py, cf. lin. 14-6. 692, 15-6 καὶ οὐδεμία τις ἐν αὐτῇ γίνεται ζήτησις W., αὐτῶ recte Py et Ald. (cf. ibid. adn. 8), cf. lin. 14-5 πρὸς τοῦτο.

717, 19 ἐν αὐτοῖς W., ἐν αὐταῖς recte Py (cf. lin. 15 ἡ μὲν ἔγγραφος et lin. 16-7 ἡ δὲ ἄγραφος.

50, 5 διὰ τοῦτο δὲ δῆλον ὅτι W., τούτου recte Py. 137, 6-8 εἰ ὁ ἕτερος χρήσεται αὐτῷ ὡς τεκμηρίῳ τῆς μοιχείας, τοῦτο καὶ ὁ ἕτερος W., τούτῳ recte Py. 290, 12 ἔτι καὶ τοῦτο διαφέρουσιν. ὅτι W., τούτω recte Py. 379, 6-7 τοῦτό φησι W., ταῦτά Py. 432, 31 ὅτι κἂν τοῦτο πρᾶγμά ἐστι κρινόμενον W., κἀν τούτω recte Py, i. e. in exemplo de filio prodigo. 473, 27 τοῦτο W., ἐν τούτω recte Py, cf. Praepositiones add. 507, 16 καὶ τοῦτο προσῆν τὸ πλῆθος W., τούτῳ recte Py, i. e. lin. 15 τῷ προπηλακίζοντι. 686, 8 ἕτεροι τοῦτο μὲν οὔ φασιν, ἕτερα δὲ εἴδη W., ταῦτα recte Py, quia εἴδη ambobus pronominibus commune est substantivum.

733, 22 ἐπὶ τούτους μεθ' ἡμῶν ἰέναι W., τούτοις male Py et Ald. (cf. ibid. adn. 27).

198, 10 καὶ τὸ χρήσιμον ἐκ τούτου ἀποφαίνεται W., τούτων recte Py, cf. lin. 11 ἐκ τούτων. 206, 5-6 ἁπάσαις δὲ αἰτίαις καὶ βλασφημίαις ἅμα τούτου κεχρημένου W. e Veneto et Dem. 18, 34, τότε pro τούτου Py et Ald. (cf. ibid. adn. 23). 225, 14 ἐκ τούτου W., τούτων recte Py, cf. lin. 13 ἐξ ὧν.

155, 28-9 οὐκοῦν πᾶσιν (sc. ὀνείροις) πείθεσθαι δεῖ τούτων τῷ λόγῳ W., τούτω recte Py, quia λόγος substantivo designatur hic ratiocinatio. 749, 11-2 ἐπὶ δὲ τούτων κατασκευάζειν χρὴ καὶ τὸ ῥᾴδιον W., τούτοις recte Py, quia idem ac lin. 4 εἶτα.

174, 4-5 τὸ ζήτημα· ὥστε καὶ ἐν τούτοις W., τούτω recte Py.

464, 7-8 εἰ οὕτως ἐμοίχευσεν W., οὗτος recte Py, cf. lin. 10. 501, 13-4 ἢ ὁ αἰτῶν, σχῆμα γάρ, ὅπερ εἶπον, καὶ οὕτως ἔχει κατηγόρου W., οὗτος recte Py, i. e. ὁ αἰτῶν. 502, 30 ὥσπερ γὰρ ἐκεῖνος... 503, 1-2 οὕτως καὶ ὁ ῥητορικὸς συλλογισμός W., οὗτος male Py et Ald. (cf. ibid. adn. 3).

422, 7-8 τοιοῦτον ἴσχυσεν W., τοσοῦτον recte Py. 590, 5-6 ἐξ ἑνὸς γὰρ τοιούτου πάντως ἔχει τὴν ἐξέτασιν recte W., cf. lin. 4 τινος τῶν τοιούτων; τούτου Py. 183, 18 ἄδοξος δὲ ὁ κατὰ τὸ ἐναντίον τοιούτῳ W., τούτωι recte Py, i. e. antecedenti. 730, 17 τοιαῦτα καὶ

παραπλήσια τοιούτοις W., τούτοις Py. dat. om. codd Thuc. 1, 163, 23-4. De οὗτος et τοιοῦτος pronominum mutuis vicibus cf. KOWALSKI, *Ad Georgii capita scholiis P adiecta adnotationes crit.*, Eos 1939 p. 66 ad 7, 661, 29 W.

Ubi W. τοιοῦτον neutro genere exhibet, Py τοιοῦτο dat. 447, 13 τὸ τοίνυν τοιοῦτον ζήτημα W., τοιοῦτο Py. 759, 21-2 τὸ τοιοῦτον W., τὸ τοιοῦτο Py.

592, 15-6 ἐπὶ τοιῷδέ ποτε κρινόμενον πράγματι W., οἱωδήποτε recte Py.

817, 13 ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν ὁ συλλογισμός W., ἐκεῖ recte Py, cf. lin. 16 ἐνταῦθα δὲ τὴν ἀντινομίαν. 639, 7 μετ' ἐκείνου γεγόνασι scr. recte W., ἐκείνους male Py et Ald. (cf. ibid. adn. 15).

561, 26-7 καὶ ἕτερος πάλιν κατὰ δύο πρόσωπα διπλοῦς recte W., cf. lin. 18; ἑτέρως Py. 323, 5 δυοῖν γὰρ θάτερον, ὦ χρηστέ W., θατέρω, ὦ om., χρηστόν male Py. 243, 12-3 καὶ τὸ τὴν πρᾶξιν οὐχ ἑτέραν εὐεργεσίαν γενέσθαι W., ἑτέρων recte Py, cf. q. s. οὐδ' ἐφ' ἑτέρους διαβῆναι.

280, 24 ἑκάτεροι W., ἑκάτεραι recte Py, cf. lin. 16 et 17 ἀμφότεραι.

791, 22-3 ἀλλήλων W., ἀλλήλοις Py, cf. supra.

387, 2-3 ἀλλὰ πρᾷον αὐτοῖς ἔσεσθαί με recte W., μοι Py (cf. ibid. adn. 43). 740, 4-5 τοὺς Λακεδαιμονίους φόβῳ τῷ ὑμετέρῳ πολεμησείοντας W. et codd Thuc. 1, 33, 21; τῶν ὑμετέρων male Py et Ald. (cf. ibid. adn. 24).

81, 9-10 ἄλλοι δ' ὡς ταῦτα (τ. τὴν Py) πραγματικὴν μόνη περιλαμβάνει στάσιν W., μόνην recte Py. 449, 16-7 ἐκ προσώπων μόνον W., μόνων Py accommodavit. 543, 8-9 βούλεται καταλιπεῖν μόνον αἰτίαν τὸ δίκαιον W., μόνην recte Py: *unam solam causam.* 794, 25 ὅτε πατὴρ ἦν μόνης W., μόνον recte Py, i. e. *non vir.*

292, 13-4 οὐκέτι δὲ ἔχει τούτου τὴν διάνοιαν τὸ ἐναντίον W., ὁ ἐναντίος recte Py, cf. lin. 10 τῷ ἐναντίῳ masc.

280, 14-5 ἡ μὲν ἰσχύει τῷ ῥητῷ πλέονα W., πλέον recte Py.

642, 17 τὸ πολλάκις ἀμείβειν γυναῖκας W., πολλὰς Py.

343, 3-5 ἵνα τῷ δέει ὧν ἔπαθε Δημοσθένης καὶ οἱ ἄλλοι ἡσυχάζοιεν καὶ μή τί σου τὸ λοιπὸν κατηγορήσῃ W., τις recte Py, ita enim restituitur subiectum; cf. 546, 8-10 τὸ δὲ ὅλως ἀφανίζειν ἱερὰν ἐσθῆτα ἔσθ' ὅ τι τοῦ περικόπτειν τοὺς Ἑρμᾶς διαφέρει W. et codd Dem. 21, 147, ἔσθ' ὅτε τὸ Py et Ald. (cf. ibid. adn. 4); 757, 25 ἀλλ' οὔτε γε δύσνους W., οὔ τι recte Py, quia alterum τε deest.

169, 6-7 κατὰ τὸ ἰσοτέλευτον, ὅ τινες καὶ ἐκάλεσαν recte W., οἵ τινες Py et Ald. (cf. ibid. adn. 21). 643, 2-3 ἵνα τοὐναντίον οὗ βούλεται ὁ ἀντιδικῶν διαπράξηται W., ὃ οὐ pro οὗ male Py et Ald. (cf. ibid. adn. 7). 760, 18-9 παρακαλῶμεν ἐπὶ τὸ πράττειν ἅπαν ὃ ἡ βουλὴ ἀπαιτεῖ W., ἅπερ pro ἅπαν ὃ Py. 53, 8 ἄρισται παραθέσεων ἐν αἷς W., ἐν οἷς male Py.

Articuli casus numeri genera mutantur.

509, 1 καὶ τὸ ἑξῆς W., τὰ recte Py. 828, 11-2 τὸ ῥητὰ mendo operae W., τὰ Py. 252, 30 — 253, 2 πρόσκειται δὲ τοῖς κηρύγμασι τὰ ὡρισμένα ἀντὶ τοῦ τῷ δήμῳ ἀρέσοντα W., τὸ pro τὰ recte Py, de vocabulo enim agitur. 702, 11-2 ὅσα τὰ κατ' ἀρετὴν ἢ ἀρετῆς ἔργα scr. recte W., τὸ Py (cf. ibid. adn. 3, sed ὅσα Py, non ὅσαι).

105, 10-1 καὶ πάλιν τὸ νέον χωρὶς πλουσίου ἀσθενές W., τὸν male Py et Ald. (cf. ibid. adn. 9) accommodavit, sed νέον accipiendum masculino genere.

213, 14 ἐμέμφαντο δὲ καὶ τὸ λέγειν W., τῷ Py, i. e. cum dativo rei, quod videtur esse lautitiarum eius aetatis. 236, 24-6 τὸ γὰρ ἀποκηρύξαι τὸν παῖδα τὴν ὑπόνοιαν τοῦ κατασοφισμοῦ πεποίηκεν W., τῶ pro τὸ recte Py. 318, 18 διὰ τὸ λυμαινόμενον αὐτοῦ τὸ ἀξίωμα W., τῷ ἀξιώματι emendatius Py. 603, 7-8 τὸ δὲ ὁρικόν, ἐπειδὴ τὸ ἀνεύθυνον εἶναι καθάπερ ἀτελὲς τυγχάνει W., τῷ pro alt. τὸ recte Py, quia ἀτελὲς ad ὁρικὸν spectat. 603, 11-3 μετὰ γοῦν τὰ δύο παραγραφικά, τό τε ἀπὸ τοῦ προσώπου καὶ τὸ ἀπὸ τοῦ πράγματος, ἡ ἀντίληψις recte W., τῷ utroque loco pro τὸ Py. 506, 17 τὸ W., τῷ recte Py, cf. supra. 603, 7-8 τὸ W., τῷ recte Py, cf. supra. 603, 11 τὸ W., τῷ male Py, cf. supra. 215, 12-3 καὶ ἔστι πιθανὸν μὲν τὸ παράδειγμα, ὡς πρὸς τῷ ἄνω W., τὸ pro τῷ recte Py, i. e. si comparatur cum exemplo supra tradito. 462, 22-3 καὶ τῷ ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ τεθνάναι τὸν δεσμώτην W., τὸ pro τῷ recte Py, cf. lin. 21 τὸ λυθῆναι. 516, 17 τῷ W., τὸ recte Py, cf. supra. 633, 31 τῷ λέγειν recte scr. W., cf. lin. 29 τούτῳ... ἐκράτησε; τὸ male Py et Ald. (cf. ibid. adn. 26). 702, 7-8 καὶ τῷ τηρεῖν τὰ πρέποντα ἐν τῷ βίῳ W., τὸ pro pr. τῷ recte Py, quia etiam antecedentia lin. 5-7 nominativo proferuntur.

435, 17-8 ὥστε οὖν σημεῖον μὲν τοῦ ἐκποδὼν γενέσθαι τὸν πατέρα W., τὸ pro τοῦ recte Py, sed cf. sq. ἔγκλημα δὲ ὁ φόνος. 546, 9 τοῦ W., τὸ male Py, cf. supra. 570, 7-8 δύο ὄντων τῶν ζητουμένων, τοῦ τε... καὶ τοῦ recte W., τὸ pro alt. τοῦ Py. 315 adn. 2 οὕτω καὶ ὁ ἐμβλέψας γυναικὶ τοῦ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς W., πρὸς τὸ ἐπιθ. αὐτῆς

recte Py. 98, 11 καλῶς μετὰ τοῦ πρός τι τὰ διαβεβλημένα W., τὰ pro τοῦ recte Py. 292, 22-3 τοῦ ἀγράφου W., τῆς recte Py, cf. lin. 22 τὴν ἔγγραφον. 290, 31 τοῦτο ἀπὸ τοῦ Δημοσθένους παραγραφῶν φανερόν W., τῶν pro τοῦ recte Py. 624, 1 ἀλλ' οὐ τῶν Λεύκωνος W., τοῦ pro τῶν recte Py, quia de ipso Leucone tractatur. 689, 10-1 ὁ μὲν γὰρ τῶν ἔξωθεν εἶναι μεταστατικά φησιν W., τῷ pro τῶν recte Py, cf. lin. 11 ὁ δὲ τῷ πάθος ψυχικὸν κινεῖν. 594, 22-3 τῶν νόμων recte Py, cf. supra.

333, 24 τῷ πλουσίῳ W., τοῦ πλουσίου recte Py, cf. supra. 740, 4 τῷ ὑμετέρῳ W., τῶν ὑμετέρων male Py. 129, 15-6 εἰς αὐτὸν ἀναφερομένου τοῦ πραχθέντος τὸν κρινόμενον scr. W., τὸ Py (cf. ibid. adn. 3); cf. KOWALSKI, *Comm. cod. Vat. Gr. 107* p. XLIX ad 27, 3. 455, 11 τὸν συνειδότα recte W., τὸ Py (cf. ibid. adn. 4) accommodavit; de accommodatione cf. locos iam tractatos 105, 10. 252, 30—253, 2. 267, 25. 394, 7-8. 449, 16-7. 464, 21-2. 533, 16. 538, 28-9. 685, 11-2. 476, 23-4 ἴδιον δὲ τοῦ ὅρου ἐστὶ τὸ τὸν μὲν πεπραγμένον εἶναι δῆλον W., τὸ pro τὸν recte Py, cf. lin. 25 τί χρὴ καλεῖν αὐτό. 189, 23-4 στρατηγὸς προέστησε τοὺς αἰχμαλώτους τοῦ οἰκήματος W., τὰς pro τοὺς recte Py: *captivas prostituit.*

Articulus pro praepositione ponitur.

42, 5-6 σύστημα περὶ θεωρημάτων ἰατρικῶν W., τῶν pro περὶ Py.

Coniunctio pro articulo.

91, 15 τὸ W., καὶ Py, cf. Coniectanea. 274, 16-7 δῆλον γὰρ ὡς ἡ μὲν ἐξικνεῖται ἡ περιουσία W., εἰ pro ἡ recte Py. Sententia est: si hereditas suffecerit, ut et auream efficiant figuram et ipsis aliquid inde reliqui sit, iustum est facere quod postulant adversarii. 330, 7 οἱ δὲ ἐλεύθεροι W., εἰ pro οἱ male Py.

Pronomen pro articulo.

284, 21 οὐδεμία τῆς διαιρέσεως ἀνάγκη ἢ τῆς τεχνολογίας W., τις pro pr. τῆς male Py.

Collocatio articuli mutatur.

260, 11-2 ἐκ τοῦ ἴσου καὶ τοῦ ὁμοίου W., ἴσου τοῦ καὶ ὁμ. Py, cf. Coniectanea.

Praepositiones mutantur.

509, 10-1 ἡ διάνοια ἐπ' ἀμφοῖν ἐρευνᾶται W., tractum ex sequentibus ὡς ἐπὶ; ὑπ' recte Py. 202, 3-6 φέρεται γὰρ καὶ καθ' ἑτέρων πλείστων ἡ στάσις τὸ ὄνομα, ἐπί τε τῶν στασιαζόντων καὶ πυκ-

τευόντων ἴδιον W., ἀπό pro ἐπί vix recte Py. 765. 25-6 διπλᾶ ἔσται τὰ κεφάλαια ἐφ' ἑκατέρου μέρους ἐξεταζόμενα W., ἐφ' Py.

543, 9-10 ὅτι μετὰ τοῦτο μόνον τὴν κατηγορίαν πεποίηται W., διὰ pro μετὰ recte Py. 569, 13-4 μετὰ τὰ ἐν Χαιρωνείᾳ χρωμένοις περὶ τῆς ἥττης recte W., κατὰ pro μετὰ Py et Ald. (cf. ibid. adn. 28).

78, 16 περὶ μέρους δὲ διὰ τὰς φιλοσόφους W., ἐπὶ μέρους Py. cf. Hmg 29, 1 R. 259, 11-2 τριττῇ χρῆται περὶ συλλογισμοῦ διδασκαλίᾳ W., ἐπὶ recte Py, quia agitur de modo expositionis ad statum ratiocinalem adacto. 396, 2-3 τοιοῦτον δέ τι καὶ περὶ τῆς βουλήσεως εἶπεν καὶ τῆς δυνάμεως W., ἐπὶ recte Py, i. e. in capite de voluntate et potestate, ibique (Hmg 46, 23 R.) invenitur.

213, 4-6 δεῖ δὲ τὰ σημεῖα ἐπὶ τοῦ στοχασμοῦ ἀνεύθυνα εἶναι καὶ ὁμολογεῖσθαι περί τε τοῦ φεύγοντος καὶ τοῦ διώκοντος W., compendium pro περί Py, i. e. παρά. 794, 9 οὐχ ὡμολόγησε περὶ τὴν ἐκκλησίαν ἀπεκτονέναι W., παρὰ recte Py: *cum comitium haberetur.*

463, 11-2 ἐνταῦθα γὰρ δύο ἐγκλήματα παρὰ τὸν πλούσιον W., comp. Py, i. e. περὶ: *duo examina circa divitem versantur.* 472, 2-3 ψυχρὰν δὲ τὴν παρὰ τούτων ἐπεξεργασίαν ἡγούμενος W., comp. Py, i. e. περὶ: *accuratiorem de eis speciebus tractationem.* 472, 7-8 ἔστι δὲ τὸ παράδειγμα αὐτοῦ τὸ παρὰ τοῦ μάγου W., comp. Py, i. e. περί. 474, 6-7 ὁ δὲ ὅρος... τὴν παρὰ τοῦ τί ἐστιν... περιέχει ζήτησιν W., comp. Py, i. e. περί. 478, 2-3 ὅρος ἐστὶ στάσις παρὰ τοῦ τί ἐστιν ἀποδεικνύουσα τὸ ζητούμενον W., comp. Py, i. e. περί. 510, 2 παρὰ ὧν δὲ ἐπέδωκα οὐδὲ μίαν W., comp. Py, i. e. περί; Dem. 18, 111 solum genetivum exhibet. 632. 30-1 ἡ παρὰ Χαιρώνειαν ἥττα W., comp. Py, i. e. περὶ. 43, 16 πρὸς τὸ χεῖρον ὁρμῶνται W., ἐπὶ pro πρὸς Py. 315 adn. 2 ἡ γὰρ γυνὴ τῶν κατά τί ἐστι, τουτέστι χωρὶς ἀνδρὸς οὐ λέγεται γυνὴ W., πρός pro κατά recte Py.

473, 3-4 ἡ γὰρ ἄρνησις μᾶλλον ὑπὲρ τοῦ κατηγόρου γίνεται W., ἐπὶ Py, sed cf. lin. 5 ἀλλὰ μᾶλλον ὑπὲρ τοῦ φεύγοντός ἐστιν.

74, 6 ὑπὸ ἔθους διϊσχυρίζεται W., ἀπὸ pro ὑπὸ recte Py. 211, 5-6 οὔτε ἐν τῷ ὑπὸ γνώμης W., ἀπὸ recte Py. 265, 7-8 δείξει... ὑπὸ τοῦ παλαιότερον εἶναι W., ἀπὸ recte Py. 493, 16 κατασκευάσει... ὑπὸ ἐνστάσεως W., ἀπὸ recte Py. 271, 19-20 ἀμφίβολος γὰρ καὶ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ ὀνόματός ἐστιν W., ἀπ' recte Py. 743, 17 τοῖς ἀπ' ἐκείνων λεγομένοις W., ὑπ' recte Py.

413, 6-7 ἀπεστερηκὼς ὑπ' ἀνάγκης W. et codd Plat. *Phaedr.* 241 B, ἐξ Py.

536, 21-6 ἐζήτηται δὲ ὑπὸ τῆς ποιότητος W., ἐπὶ Py, cf. Coniectanea. 370, 21-3 πολλὰ γὰρ καὶ τῶν ὑφ' ἡμῶν πραττομένων ὑπεύθυνά ἐστιν, ὡς ὑπ' ἐκείνου· νέος πλούσιος W., ἐπ' ἐκ. recte Py, quia de exemplo. 625, 19-20 εἰς τὰ καθ' ἕκαστα τῆς ὕλης, ὑφ' ὧν τὸ ὅλον ὗφος τῷ λόγῳ συμπληροῦται W., ἐφ' pro ὑφ' male Py.

Mutantur etiam praepositiones vocabulis praefixae.

154, 23-4 ἐν δὲ τῷ ἀντιστρέφοντι W., ἀναστρέφοντι Py, cf. PRÓCHNICKA, *De Anon. in Hmg π. ἰὸ. cod. Par. Gr. 2983 rec.*, Eos 1939 p. 98 ad 7, 316, 18 W. 245, 26-7 ὡς ἐφ' οὗ παρέθετο παραδείγματος αὐτὸς ἐπὶ συγγνώμης, καὶ γὰρ ἀντιστατικὸν καὶ αὐτὸ W., μεταστατικὸν recte Py, agitur enim de his duobus. 189, 21-2 καὶ τὸ τὸν δῆμον ἀπονεῦσαι W., ἐπινεῦσαι recte Py, cf. lin. 13 κατεγνώσθη. 319, 6-7 ἀπαγωνίζεται W., operae mendo; ἐπαγωνίζεται Py. 450, 22-3 ἀποθέμενος μὲν ὡς οὐκ ἔστιν ἁπλοῦς ἀτελὴς ἐκ μόνων προσώπων W., ὑποθέμενος recte Py. 515, 7 ἀπέδωκα τὰ χρήματα W., ἐπέδωκα recte Py: *obtuli*, cf. Dem. 18, 113.

582, 18-9 ἐκεῖ μὲν γὰρ ἐκ τῆς διαιρέσεως τῶν πραγμάτων ἐνέκυπτεν W., ἀνέκυπτεν recte Py.

704, 23-4 τὸ μὲν συμβουλευτικὸν μόνῃ ἐπείληφεν ἡ πραγματικὴ W., ἀπείληφεν recte Py, sed fortasse rectius W., quia etiam alia genera praeter genus iudiciale admittit.

701, 12 καταφυγὴ τῶν περιεστώτων κακῶν W., ἀποφυγὴ recte Py, opponitur enim vocabulo lin. 11 ἐπίκτησις. 69, 24 λογικὴ πρόκειται διὰ τοὺς ἀθλητὰς W., πρόσκειται recte Py, quia agitur de addito adiectivo. 139, 21 καὶ ἔτι προθεὶς W., προσθεὶς recte Py: postquam docuit de quaestione civili deque eius materia addiditque etiam differentiam materiae. 214, 10-1 διὰ τί ἑκάστη λέξις ἐν τῷ ὁρισμῷ πρόκειται W., πρόσκειται recte Py, quia quaeritur, sintne necessario additae definitioni. 366, 16-7 τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους αὐτῷ προδέδωκεν W., προσδέδωκεν recte Py, cf. lin. 22-3. 577, 28 προτέτακται W., προστέτακται recte Py, cf. Coniectanea.

418, 6-7 ἑτέρων προσειπόντων τὰς πρωτολογίας W., προειπόντων recte Py: *prius*. 495, 20-2 τοῦ φεύγοντος γὰρ μὴ συγχωρήσαντος τῇ παρὰ (scr. ego; περὶ codd) τοῦ κατηγόρου προβολῇ ὁδῷ προσελθεῖν W., προελθεῖν recte Py: *via procedere*, opp. lin. 24 τὰ σαλευθέντα τῆς προβολῆς. 509, 29 ὁ μὲν Αἰσχίνης τὸ ῥητὸν προσήνεγκεν W., προήνεγκεν recte Py: *protulit*. 68, 21 καὶ τοῖς ἀγῶσιν αὕτη περιέχει τὰ σπέρματα W., παρέχει recte Py. 823, 9-10 ὁ φεύγων

χρήσεται τῇ διανοίᾳ, τὴν μὲν τοῦ νομοθέτου περὶ ῥητὸν παραβαλλόμενος W., προβαλλόμενος recte Py.

67, 22-3 διὸ οὐδὲ ὅρον πάλιν κυρίως αὐτῶν ὑποδιδόαμεν W., ἀποδιδόαμεν recte Py, ut proposuit W., ibid. adn. 13. 527, 18-9 ὑποδεικνύντες τόδε τι τούτου μεῖζον W., ἀποδεικνύντες Py. 142, 2-3 ἀλλ' ἢ κατηγορίαν ἰσχυρὰν ἀπολογίας ὑπούσης W., ἀπούσης recte Py, cf. lin. 4-5 ἐνταῦθα γὰρ ἐκλείπει ἡ ἀπολογία, et lin. 10-1 κατηγορίαν μὲν οὖν ἰσχυρὰν ἀπολογίας ἀπούσης οὕτως.

524, 4-5 ἐπὶ πολὺ τῷ περὶ τῆς ὕβρεως ὑπεξῆλθε λόγῳ W., ἐπεξῆλθε recte Py, i. e. ratione persecutus est. 615, 29 τεχνικῶς ὑπάγει τὴν ἔνστασιν W., ἐπάγει recte Py post caput status absoluti ab Aeschine inductum.

Coniunctiones mutantur.

101, 4 πότερος ἀρ' W., ἄρ' recte Py. 127, 7-8 ἀλλ' ἢ ἄρα τὸ ἀφ' ὧν ἕτερον ἐποίησε μόνον W., ἄρα Py, cf. Coniectanea. 335, 29 διατί ἄρα, ἵνα κληρονομήσω W., διὰ τί· ἀρα recte Py. 424, 5 ἐγὼ δὲ οὐδὲν ἄρα τούτων ποιήσω W., ἄρα recte Py. De ἄρα et ἄρα particularum confusione cf. PRÓCHNICKA, *De Anon. in Hmg π. ἰδ. cod. Par. Gr. 2983 rec.*, Eos 1939 p. 93 ad 7, 914, 4 W.

180, 11-2 οὐ γὰρ παράδειγμα τόδε W., οὗ καὶ παρ. recte Py.

85, 11-3 κρίνεται δὲ τῶν πραγμάτων τὰ μὴ ὡμολογημένα καὶ ἔχοντα ἀντίρρησιν, τὰ δὲ ὡμολογημένα καὶ μὴ ἔχοντα ἀντίρρησιν οὐ κρίνεται W., καὶ τὰ pro τὰ δὲ male Py. 152 adn. 5 καὶ γὰρ Δημοσθένην δὲ ἐπαινέσομεθα W., καὶ pro δὲ recte Py, cf. sqq ἀλλὰ καὶ κρινοῦμεν. 442, 6 δῆλον τοῦτο ἀπὸ W., τοῦτο scr. W. pro δὲ quod exh. Py et Ald. (cf. ibid. adn. 9), neque apparet, cur mutetur. 456, 6-7 μήτε δὲ ἀξίωμα προελομένην ἁμαρτεῖν W., δι' pro δὲ recte Py.

223, 19-20 δι' ὧν οὐδὲ πολλῶν ἐστι στάσεων περιεκτικός W., διὸ pro δι' ὧν recte Py.

209, 15 εἰ νόμιμος ὁ φόνος ἢ δίκαιος ἢ σύμφορος W., εἰ pro pr. ἢ Py; cf. Coniectanea. 506, 24-5 οἷον εἰ ἀγαθοὶ ἀμφοῖν, εἰ πονηροί, εἰ μισοῦντες ἐξ ἴσης W., ἢ pro alt. εἰ male Py. 737, 1 εἰ W., ἐν male Py, cf. supra. 274, 15-6 εἴτε πάντα τὸν Ἄρεα εἴτε δόρυ μόνον διαγορεύει γενέσθαι χρυσοῦν W., alt. εἴτε scr. W., εἰς male Py et Ald. (cf. ibid. adn. 12).

563, 16-7 ἀπὸ δὲ τῶν ὅρων πρόδηλος ἐκ τῶν λοιπῶν κεφαλαίων διπλῆ ἐξέτασις W., καὶ pro ἐκ recte Py, cf. 565, 2-3 διπλοῖς τοῖς οἰκείοις ἕκαστος χρήσεται κεφαλαίοις.

207, 23-4 ἐν W., εἰ recte Py, cf. supra.

71, 3 εἶτα ἐπεὶ καὶ ἰατρῶν ἐστιν ἐπὶ μέρους ζητήματα W., ἐπειδὴ Py.

634, 7-8 ἢ ὅλως εἴ τι ἄλλο ἐνῆν recte W. et Dem. 18, 190; εἰ ὅλ. Py.

559, 26 καθά που ἐπὶ τοῦ ἀνοίξαντος τὸ κενοτάφιον W., καθάπερ pro καθά που recte Py. 577, 4 μέτεστί μοι καθά που τῶν πολλῶν ἑκάστῳ W., καθάπερ? Py.

230, 4 καὶ παρὰ τῷ αὐτῷ Δημοσθένει W., ὡς pro καὶ recte m. 1 supra Py. 368, 1 τοῦτο οὖν ἔξωθεν ἐπισυμβεβηκὸς καὶ σύστασιν ἔχει W., τὴν pro καὶ recte Py post 367, 32 σύστασιν πᾶσαν δέδωκε. 439, 2-3 ἄλλως τε καὶ περὶ τούτου νῦν ὁ λόγος ἐνταῦθα εἰ W., οὐ pro καὶ recte Py, cf. lin. 4 ἀλλ' εἰ. 481, 12-4 ζητεῖται δέ, τίνος χάριν ἡ προβολὴ ἐν μὲν ταῖς ἄλλαις στάσεσιν εὑρίσκεται, ἐν στοχασμῷ δὲ γίνεται τῇ πραγματικῇ οὔ W., quae sensu carent; καὶ pro γίνεται recte Py. 596, 30-1 ἐκεῖ μὲν γὰρ καὶ ἀξιωμάτων καθαιρετικὸν μεθώδευται W., ὡς pro καὶ recte Py.

286, 24 ὥστε φυλάττεσθαι φονεύειν μὲν πάλιν. ὅτι W., καὶ pro μὲν recte Py, quia post φονεύειν punctum ponendum. 617, 10-1 τὸ μὲν ἐξουσίαν προτείνεσθαι W., δὲ pro μὲν recte Py, cf. lin. 9 τὸ μὲν γὰρ, utrique autem μὲν nulla apodosis redditur.

641, 31—642, 1 συμπλέκων γὰρ ὅτε οὔτε αὐτός τι λέγει recte W., cf. 642, 1 τότε; ὅτι Py. 753, 9-10 ὅτι ἂν μὲν οὖν σαφὲς καὶ ῥᾴδιον ἐπιδεικνύειν ἔχωμεν W., ὅταν pro ὅτι ἂν recte Py.

Particulae mutantur.

64, 9-11 εἰ γὰρ μήτε πρὸς τὰ καλὰ προτρέψομεν (-μεθα W.) τοὺς ἀνθρώπους, μή ποτε ἀποτρέψομεν τῶν φαύλων· καὶ εἰ μήτε W., μήτε pro μή ποτε recte Py.

Etiam ἂν particulae vices illustrabo.

432, 31 κἂν τοῦτο W., κἀν τούτῳ recte Py, cf. supra. 456, 11 ἂν W., ὃν recte Py, cf. supra. 488, 17-8 καὶ φαμὲν ὅτι τοῦτο εἶπεν ἂν ἡ προβολὴ ἔχει W., ἀντὶ τοῦ pro ἂν recte Py.

Tum γε particulae.

447, 16-7 ἐσχάτην οὖν αὐτῶν ἔχομεν τὴν τάξιν W., γοῦν recte Py, quia affertur causa. 682, 16-7 τόν τε μὴ παρόντα W., γε pro τε recte Py, quia deest καὶ.

Deinceps negationum.

111, 9 οὕτω γὰρ γέγονεν W., οὔπω recte Py, quia praecipitur, ne utamur rebus quae nondum acciderint (lin. 6-7 ἀλλὰ μὴ καὶ ταῖς μετὰ ταῦτα). 410, 6 ὅτι οὔπω καλλωπίζεται καὶ πεπόρνευται W., ὅπου pro οὔπω recte Py. 464, 30 οὕτω τοῦτο ἱκανὸν W.,

οὔπω pro τοῦτο recte Py, cf. lin. 29 κἂν φανερὸν ᾖ. 424, 9 οὐδαμῶς W., οὐδ' ὑμᾶς recte Py, cf. supra. 643. 2 οὗ W., ὃ οὐ male Py, cf. supra.

Palaeographica ratione facillime explicantur itacismi q. v. specimina.

186, 24 τῇ μεταχειρήσει W., τ. μεταχειρίσει recte Py; cf. 319. 20 μεταχειρήσεως W., μεταχειρίσεως recte Py. 426, 15-6 μεταχειρήσεων W., μεταχειρίσεων male Py. 415, 17 ἐπεχείρησεν W., ἐπεχείρισεν male Py. 284, 21 τῆς W., τις male Py, cf. supra. 419, 4-5 ἐλεεινολογισάμενος W., ἐλεεινολογησάμενος recte Py.

143, 2-3 τὸ προειλημμένον, ἐν ᾧ προκατελήφθησαν W., προκατελείφθησαν male Py et Ald. (cf. ibid. adn. 21). 209, 15 ἢ W., εἰ Py, cf. Coniectanea. 274, 17 ἡ W., εἰ pro pr. ἡ recte Py, cf. supra. 300, 16 γήμαντος W., γείμαντος male Py et Ald. (cf. ibid. adn. 30). 634, 7 ἢ W., εἰ male Py, cf. supra. 726, 31 δήσω recte W., δείσω Py et Ald. (cf. ibid. adn. 14). 749, 24 ἡ βουλή recte W., εἰ βούλει Py, cf. supra.

225, 7-8 ἡ σύστασις δήπου τοῦ πράγματος τὸ ῥητὸν παραλαμβάνεται W., εἰς σύστασιν recte Py, ita enim solum intellegitur.

448, 21-2 καὶ ὅτι μὲν τὸ δυνατὸν εἰπεῖν σοι οὐδεὶς ἂν ἀντερεῖ λόγος W., ὑπῆν pro εἰπεῖν recte Py: *ambigi non potest quin fuerit tibi potestas.* Simul restituitur verbum finitum; cf. 431, 23 τοῦ γὰρ δράσαντος μὴ εἰπόντος W., ὑπόντος recte Py, cf. lin. 21-2 προσώπου ἢ πράγματος ἐκλείποντος. 506, 24 εἰ W., ἢ male Py, cf. supra. 710, 6 ζητεῖται W., ζητῆται recte Py, cf. Modi.

